AUTHOR:

REUTHER, HERMANN

TITLE:

DE EPINOMIDE PLATONICA

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1907

Master Negative #
93-81196-23

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Reuther, Hermann, 1883-
De Epinomide Platonica; dissertatio inauguralis quam...scripsit Hermannus Reuther... Lipsiae, Noske, 1907.
83 p. 21 cm.

Thesis, Leipzig, 1907.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-30-93 INITIALS my
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE EPINOMIDE PLATONICA

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

HERMANNVS REVTHER
LIPSIENSIS

LIPSIAE
TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS
MCMVII

RETTVLERVNT AD ORDINIS PHILOLOGOS DE HAC DISSERTATIONE

LIPSIVS ET **BETHE**

LIPSIAE D. XII. M. FEBRVARII MCMVII.

PROCANCELLARIO
DES COVDRES.

PARENTIBVS CARISSIMIS

I.

Legum Platonicarum appendix quae inscribitur Epinomis ab huius aetatis viris doctis paucis tantummodo exceptis[1]) plus minusve dubitanter Philippo Opuntio, discipulo illi Platonis, tribui solet. Haec sententia nititur nonnullis testimoniis antiquis, quorum primum extat apud Diogenem Laertium III 37, ubi haec traduntur: *ἔνιοί τέ φασιν ὅτι Φίλιππος ὁ Ὀπούντιος τοὺς Νόμους αὐτοῦ* (scil. Platonis) *μετέγραψεν ὄντας ἐν κηρῷ. τούτου δὲ καὶ τὴν Ἐπινομίδα φασὶν εἶναι.* Deinde conferendus est Suidas, qui s. v. *φιλόσοφος* haec habet: *ὃς τοὺς τοῦ Πλάτωνος Νόμους διεῖλεν εἰς βιβλία ιβ'. τὸ γὰρ ιγ'* (scil. Epinomidem) *αὐτὸς προσθεῖναι λέγεται.* Inde apparet nonnullos viros doctos antiquos Epinomidem Philippo Opuntio attribuisse, qui etiam ipsas Leges Platonicas in ordinem quendam redegisse videbatur. Qui tamen illi fuerint quibusque argumentis nisi ad sententiam suam perducti sint ignoramus. Itaque statim apparet, quam debilis quamque infirma sit haec memoria. Praeterea autem, afferendus est locus Olympiodori prol. 25 (edit. Hermannianae vol. VI p. 218): *φασὶν οὖν ἐννέα εἶναι τετραλογίας ὡς λϛ' εἶναι τοὺς πάντας διαλόγους αὐτοῦ· οὗτοι δὲ διὰ τὸ συστῆναι τὸν τῶν τετραλογιῶν ἀριθμὸν τὸ Ἐπινόμιον, νοθευόμενον, γνήσιον ἀποφαίνουσιν· ὅτι δὲ νόθον ἐστί, διὰ δύο τινῶν δείκνυσιν ὁ σοφώτατος Πρόκλος, πρῶτον μὲν λέγων, πῶς ὁ τοὺς νόμους μὴ εὐπορήσας διορθώσασθαι διὰ τὸ μὴ ἔχειν χρόνον ζωῆς τὸ Ἐπινόμιον μετὰ τούτους ἂν εἶχεν γράψαι; δεύτερον δ' ὅτι ἐν μὲν τοῖς ἄλλοις διαλόγοις αὐτοῦ φησὶ τοὺς πλανωμένους ἀστέρας ἀπὸ τῶν δεξιῶν ἐπὶ τὰ ἀριστερὰ κινεῖσθαι, ἐν αὐτῷ δὲ τὸ ἀνάπαλιν ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν ἐπὶ τὰ δεξιά.* Hoc igitur loco comperimus, quibus de causis Proclus Epinomidem esse spuriam iudicaverit. Quarum causam alteram nihili esse infra demonstrabitur (p. 63 sq.). Prius autem argumentum nihil esse nisi coniecturam satis incertam elucet. Namque potuit Plato etiam antequam Leges suas emendaret atque perpoliret Epinomidem conscribere. Minime igitur in Procli argumentis acquiescere pos-

[1]) cf. Woltjer, de Platone prae-socr. philos. existimatore et iudice (1904) p. 210; Raeder, Plat. philos. Entw. (1905) p. 30 et 413; Gomperz, Gr. Denk. II p. 563 sq.

sumus. Tota vero reliqua antiquitas Epinomidem pro genuino Platonis opere videtur habuisse. Quorum in numero primus nominandus est Aristophanes Byzantius, a quo Epinomidem cum Legibus et Minoe una trilogia coniunctam et re vera Platonicam iudicatam esse Diogenes Laertius III 61 sq. narrat. Deinde afferendus est Ciceronis locus de orat. III 6,21: „sed si haec maior esse ratio videtur, quam ut hominum possit sensu aut cogitatione comprehendi: est etiam illa Platonica vera et tibi, Catule, non inandita vox omnem doctrinam harum ingenuarum et humanarum artium uno quodam societatis vinculo contineri.“ Dudum interpretes adnotaverunt Ciceronem hic spectare Epinomidis p. 992 A: *δεσμὸς γὰρ πεφυκὼς πάντων τιύτων εἷς ἀναφανήσεται τοῖς διανοουμένοις.* Ciceronis autem locus ideo mihi memorabilis videtur, quod illum in ipso tertio de oratore libro doctrinam eam praebere verisimillimum est, quam adulescens a Philone Larissaeo Academico perceperat. Qua de re elegantissime egit H. de Arnim in libro qui inscribitur: Leben und Werke des Dio von Prusa (1898) p. 97 sqq. Si recta sunt quae ille exposuit, admodum verisimile est hoc quoque caput doctrinam Academicam sapere. Et praebere Ciceronem hoc loco non suam sed Graecam doctrinam, ex universa huius capitis ratione apparere videtur. Quae omnia si recte sese habent, Ciceronis aetate in Academia Epinomidem genuinum Platonis opus iudicatam esse cognoscimus. Deinde imperatoris Tiberii temporibus idem de Epinomide sensit Thrasyllus, qui opusculum in tetralogias suas pro genuino recepit (cf. Diog. Laert. III 56 sqq.). Multos praeterea auctores attulit Stallbaumius in commentatione de Epinomidis fide et auctoritate (in Legum Plat. edit. Gothana, 1859—1860, III) p. 441 sq., e quibus imprimis nominandus videtur Theo Smyrnaeus Platonicus, qui floruit secundo p. Chr. saeculo et de rebus mathematicis et astronomicis Platonicis scripsit. Alios enumerare longum est. Hoc igitur constat antiquis temporibus nonnullos viros doctos de Epinomidis auctore dubitavisse; argumenta tamen, quibus usi sunt, ut spurium esse opusculum demonstrarent, nobis aut omnino ignota sunt aut admodum infirma neque ea, in quibus nos acquiescere possimus. Itaque nostrum est quaerere, quid de libelli auctore iudicandum esse videatur.

Sed priusquam ad singula veniamus, inquirendum est, quanam ratione Epinomis cum Legibus cohaereat. Egit de hac re post Boeckhium adulescentem (in Plat. Minoem p. 74), C. F. Hermannum (Gesch. u. Syst. der plat. Philos. p. 422 sq.), alios imprimis Stallbaumius in commentatione modo commemorata, qui ut probet Epinomidem esse spuriam cum alia tum hoc profert (l. s. p. 444): „Itaque primum quidem vel ipsum scribendi consilium, quod auctor

Epinomidis secutus est, tale esse existimamus, unde nullo fere negotio intellegi liceat libellum esse spurium temereque Platonis nomine insignitum.“ Argumentatio autem qua utitur satis copiosa haec fere est: auctorem Epinomidis aperte niti duobus locis Legum Platonicarum: VII p. 818 B sq. et XII p. 966 A sqq. Sed quamquam sane obiter inspicienti illi loci Platonici ei esse videantur qui lacunam quandam praebeant supplementoque aliqua ex parte egeant, tamen diligentius consideranti apparere locos illos Platonicos mimime mancos esse. Quodsi nihilo minus auctor libelli eos supplere voluerit ipsum ostendisse, quam non Platonis artem atque consilium perspexisset. Ineptum igitur iudicandum esse.

Ac primum quidem Stallbaumius recte dixit auctorem niti duobus illis locis Legum Platonicarum. Aperte enim ipso initio libelli indicat, quid consilii sit persecutus: p. 973 B: *ὃ δὲ μέγιστον εὑρεῖν τε καὶ εἰπεῖν, τί ποτε μαθὼν θνητὸς ἄνθρωπος σοφὸς ἂν εἴη, τοῦτο οὔτε εἴπομεν οὔτε εὕρομεν. νῦν δὲ πειρώμεθα τοῦτο μὴ καταλιπεῖν· σχεδὸν γὰρ ἀτελὲς ἂν πράξαιμεν οὗ χάριν ἅπαντες ὡρμήσαμεν, ὡς φανερὰ ποιήσοντες μέχρι τέλους.* De vera igitur sapientia, quae nondum in Legibus tractata sit, se dicturum esse profitetur. Ut autem intellegamus rectene an falso Stallbaumius de eius consilio scribendi iudicaverit illorum Legum locorum ratio diligenter perscrutanda est.

Plato postquam lb. VII p. 788 A—817 E imprimis de educandis pueris variisque artibus instituendis egit, p. 817 E ita pergit: *ἔτι δὴ τοίνυν τοῖς ἐλευθέροις ἔστι τρία μαθήματα, λογισμοὶ μὲν καὶ τὰ περὶ ἀριθμοὺς ἓν μάθημα, μετρητικὴ δὲ μήκους καὶ ἐπιπέδου καὶ βάθους ὡς ἓν αὖ δεύτερον, τρίτον δὲ τῆς τῶν ἄστρων περιόδου πρὸς ἄλληλα ὡς πέφυκε πορεύεσθαι· ταῦτα δὲ ξύμπαντα οὐχ ὡς ἀκριβείας ἐχόμενα δεῖ διαπονεῖν τοὺς πολλοὺς ἀλλά τινας ὀλίγους· οὓς δέ, προϊόντες ἐπὶ τῷ τέλει φράσομεν. οὕτω γὰρ πρέπον ἂν εἴη· τῷ πλήθει δὲ ὅσα αὐτῶν ἀναγκαῖα καί πως ὀρθότατα λέγεται, μὴ ἐπίστασθαι μὲν τοῖς πολλοῖς αἰσχρόν, δι' ἀκριβείας δὲ ζητεῖν πάντα οὔτε ῥᾴδιον οὔτε τὸ παράπαν δυνατόν.* Hoc igitur dicit hospes Atheniensis, qui ipsius Platonis personam agit: tres adhuc restant disciplinae, quibus omnes ingenui imbuendi sunt: *λογιστική* et *ἀριθμητική*, *γεωμετρία* vel *μετρητική*, *ἀστρονομία*. Minime tamen hae disciplinae omnibus ita tractandae sunt, ut elegantiam aliquam perfectionemque consequantur, sed ea tantummodo illis discenda sunt, quae qui ignorat turpitudinem contumeliamque capit quaeque idcirco necessaria sunt iudicanda. Qui tamen in reconditis atque subtilibus harum doctrinarum studiis versari debeant, in fine totius disputationis tractandum erit. Itaque hoc loco agitur de pueris ingenuis harum doctrinarum elementis imbuendis, ita tamen ut iam hic

indicetur postea rursus de his rebus dictum iri. Iam sequitur locus difficillimus p. 818 A sqq.: *τὸ δὲ ἀναγκαῖον αὐτῶν οὐχ οἷόν τε ἀποβάλλειν, ἀλλ' ἔοικεν ὁ τὸν θεὸν πρῶτον παροιμιασάμενος εἰς ταῦτα ἀποβλέψας εἰπεῖν, ὡς οὐδὲ θεὸς ἀνάγκῃ μή ποτε φανῇ μαχόμενος. ὅσαι θεῖαί γε, οἶμαι, τῶν [τε] ἀναγκῶν εἰσιν· ἐπεὶ τῶν γε ἀνθρωπίνων, εἰς ἃς οἱ πολλοὶ βλέποντες λέγουσι τὸ τοιοῦτον, οὗτος πάντων τῶν λόγων εὐηθέστατός ἐστι μακρῷ.*

Κλ. Τίνες οὖν, ὦ ξένε, αἱ μὴ τοιαῦται ἀνάγκαι τῶν μαθημάτων, θεῖαι δέ;

Αθ. Δοκῶ μέν, ἃς μή τις πράξας μηδὲ αὖ μαθὼν τὸ παράπαν οὐκ ἄν ποτε γένοιτο ἀνθρώποις θεὸς οὐδὲ δαίμων οὐδὲ ἥρως, οἷος δυνατὸς ἀνθρώπων ἐπιμέλειαν σὺν σπουδῇ ποιεῖσθαι. πολλοῦ δ' ἂν δεήσειεν ἄνθρωπός γε θεῖος γενέσθαι μήτε ἓν μήτε δύο μήτε τρία μήθ' ὅλως ἄρτια καὶ περιττὰ δυνάμενος γιγνώσκειν, μηδὲ ἀριθμεῖν τὸ παράπαν εἰδώς, μηδὲ νύκτα καὶ ἡμέραν διαριθμεῖσθαι δυνατὸς ὤν, σελήνης δὲ καὶ ἡλίου καὶ τῶν ἄλλων ἄστρων περιφορᾶς ἀπείρως ἔχων· ταῦτ' οὖν δὴ πάντα ὡς μὲν οὐκ ἀναγκαῖά ἐστι μαθήματα τῷ μέλλοντι σχεδὸν ὁτιοῦν τῶν καλλίστων μαθημάτων εἴσεσθαι, πολλὴ καὶ μωρία τοῦ διανοήματος· ποῖα δὲ ἕκαστα τούτων καὶ πόσα καὶ πότε μαθητέον, καὶ τί μετὰ τίνος καὶ τί χωρὶς τῶν ἄλλων, καὶ πᾶσαν τὸν τούτων κρᾶσιν, ταῦτά ἐστιν ἃ δεῖ λαβόντα ὀρθῶς πρῶτα ἐπὶ τἆλλα ἰόντα τούτων ἡγουμένων τῶν μαθημάτων μανθάνειν· οὕτω γὰρ ἀνάγκη φύσει κατείληφεν, ᾗ φαμὲν οὐδένα θεῶν οὔτε μάχεσθαι τὰ νῦν οὔτε μαχεῖσθαί ποτε. Quibus verbis interpretandis enixe operam dedit C. Ritterus in commentario Legum Platonicarum (1896) p. 211 sqq. Atque progrediendum est a vocabuli *ἀναγκαῖος* significatione. Plato enim duplicem necessarii naturam statuit: alteram humanam, de qua tamen non amplius agitur; alteram divinam, scil. eam cui ipsi dei obnoxii sunt. Vituperat autem Plato stultitiam insulsitatemque eorum, qui haec duo necessarii genera inter se confundunt deorumque maiestati imbecillitatem hominum tribuunt. Quaeritur autem quaenam sit illa necessitas divina, illae *ἀνάγκαι τῶν μαθημάτων*, quas Clinias appellat, quas ne dei quidem effugere possunt. Optime fortasse uno verbo *κόσμος* appellari potest. Comprehenditur enim atque coercetur quasi vinculis aëneis universa natura legibus sempiternis ratione mathematica constitutis. Has leges mathematicas recte Clinias *ἀνάγκας τῶν μαθημάτων* vocat, quas neque dis neque hominibus licet effugere. Dei enim itemque daemones et heroes quaecunque efficere volunt possuntque, ea secundum leges mathematicas universo mundo innatas facere coguntur. Namque „*θεὸς ἀεὶ γεωμετρεῖ*". Ita fit, ut ipsi dei atque semidei legum quibus tenentur rationem atque naturam quodammodo discant necesse sit, ut eas quasi exprimere in omnibus rebus

gerendis et exsequi possint. Ac nisi hisce legibus obtemperant atque obsequuntur, numina vere efficacia, quae hominibus et consulere possint et opitulari, fieri nequeunt (*ἃς μή τις πράξας μηδὲ αὖ μαθὼν τὸ παράπαν οὐκ ἄν ποτε γένοιτο θεὸς οὐδὲ δαίμων οὐδὲ ἥρως, οἷος δυνατὸς ἀνθρώποις ἐπιμέλειαν σὺν σπουδῇ ποιεῖσθαι*). Similiter hunc locum interpretatur Ritterus p. 213 sq: „Demnach muß das *πράττειν* der *ἀνάγκη* hier darin bestehen, daß Gott eine ihn selbst bindende Notwendigkeit, und zwar eine Notwendigkeit wissenschaftlicher, insbesondere — nach dem Zusammenhang — mathematischer Art schafft: und wenn das Voraussetzung dafür sein soll, daß er überhaupt Gott oder ein für uns Menschen Fürsorge treffender Gott ist, so kann es nichts anderes bedeuten als: die in der Mathematik geltende Notwendigkeit gehört zum Wesen Gottes selbst oder . . . sie gehört zum Wesen der Welt, durch welche allein Gott zu uns in Beziehung treten kann, zum Wesen jedes für uns in Betracht kommenden oder mit Ahnung und Glauben erfaßbaren Gottes." Neque vero solum dei sed etiam homines aliquatenus his necessitatibus sive legibus mathematicis naturae innatis, quae divinae recte appellantur, obnoxii sunt, ita, ut nisi eas cognitas habent, *θεῖοι* fieri nequeant. Quaerendum autem est quid significet vocabulum *θεῖος*. Atque qua condicione *θεῖος* aliquis fiat aperte ostendunt verba: *πολλοῦ δ' ἂν δεήσειεν ἄνθρωπός γε θεῖος γενέσθαι, μήτε ἓν μήτε δύο μήτε τρία μήθ' ὅλως ἄρτια καὶ περιττὰ δυνάμενος γιγνώσκειν μηδὲ ἀριθμεῖν τὸ παράπαν εἰδὼς μήτε νύκτα καὶ ἡμέραν διαριθμεῖσθαι δυνατὸς ὤν, σελήνης δὲ καὶ ἡλίου καὶ τῶν ἄλλων ἄστρων περιφορᾶς ἀπείρως ἔχων.* Itaque nisi mathematica et astronomia institutus homo *θεῖος* fieri non potest. Ex verbis autem insequentibus apparet illud *θεῖος γίγνεσθαι* idem valere atque scientiae rerum pulcherrimarum fieri participem. Dicit enim. Plato: *ταῦτ' οὖν δὴ πάντα* (scil. mathematica et astronomia) *ὡς μὲν οὐκ ἀναγκαῖά ἐστι μαθήματα τῷ μέλλοντι σχεδὸν ὁτιοῦν τῶν καλλίστων μαθημάτων εἴσεσθαι, πολλὴ καὶ μωρία τοῦ διανοήματος.* Iam igitur quaeritur quanam fiat ratione, ut mathematica et astronomia disciplinis illis pulcherrimis opitulari possint quaeque ipsa illa *μαθήματα κάλλιστα* sint, quae qui possideat, *θεῖος* sit appellandus. Atque ad quaestionem priorem illam respondere videtur proxima sententia: *ποῖα δὲ ἕκαστα τούτων καὶ πόσα καὶ πότε μαθητέον, καὶ τί μετὰ τίνος καὶ τί χωρὶς τῶν ἄλλων καὶ πᾶσαν τὴν τούτων κρᾶσιν, ταῦτά ἐστιν ἃ δεῖ λαβόντα ὀρθῶς πρῶτα ἐπὶ τἆλλα ἰόντα τούτων ἡγουμένων τῶν μαθημάτων μανθάνειν.* De his verbis Ritterus ita p. 214: „Der Sinn der weiter folgenden Worte kann kein anderer sein, als: man müsse in der Erlernung der Wissenschaften einen bestimmten Stufengang einhalten; nur unter gewissen Voraussetzungen, die man zuerst er-

füllen müsse, nur unter der Bedingung, daß man Bestimmtes zuerst sich angeeignet habe, könne man an anderes herantreten und es verstehen.“ Quae in universum quidem haud dubie recta sunt, tamen nimis incerte esse pronuntiata mihi videntur. Namque hoc dicit Plato: priusquam aliquis cuiuslibet harum doctrinarum quae *κάλλιστα* appellantur elegantiam subtilitatemque consequi poterit (*ἐπὶ τἆλλα ἰόντα)* antea (*πρῶτα*) earum elementa atque naturam omnesque et varias rationes, quibus usus ipsas pernoscere possit, cognitas habeat necesse est (*ποῖα δὲ ἕκαστα κ. τ. λ. — μανθάνειν*). Hoc ut consequatur mathematica et astronomia ei adhibendae sunt (*τούτων ἡγουμένων τῶν ¯μαθημάτων)*. Mathematica igitur et astronomia ei necessariae sunt, qui cuilibet disciplinarum pulcherrimarum eleganter ac perfecte operam est daturus. Ita homines quoque, qui quidem in pulcherrimarum artium studio versantur, sicuti di immortales necssitate quadam mathematica tenentur. (*οὕτω γὰρ ἀνόκγκη φύσει κατείληφεν, ᾗ φαμὲν οὐδένα θεῶν οὔτε μάχεσθαι τὰ νῦν οὔτε μαχεῖσθαί ποτε.)* Iam sequitur posterior de disciplinarum pulcherrimarum natura quaestio. Ritterus p. 214 haec dicit: „am natürlichsten wird man die *κάλλιστα μαθήματα* von der Erkenntnis Gottes verstehen“; p. 216 tamen: „mit *τὰ κάλλιστα μαθήματα* könnte auch die *πολιτική* gemeint sein. Auch für sie ist, wie oben mehrfach eingeschärft worden ist, Kenntnis der Mathematik und auch der Astronomie notwendig.“ Haec quoque quamquam non falso tamen nimis incerte pronuntiata sunt. Nam aperte non de una tantummodo disciplina sed de compluribus loquitur Plato nec sine aliqua causa pluralem numerum *τὰ κάλλιστα μαθήματα* adhibet. Mea quidem sententia Platoni ante oculos versabantur omnes eae disciplinae, quae mathematica et astronomia quasi fundamento indigent i. e. quarum in rebus certus quidam ordo et aeternae leges ratione mathematica constitutae cognoscuntur atque elucent. Optime fortasse hanc Platonis mathematicae aestimandae rationem illustravit H. Usenerus in praeclarissima illa commentatione quam inscripsit: Organisation der wissenschaftlichen Arbeit (Preuß. Jahrbücher 53 [1884] 1 sqq.) p. 12: „In vollem Überblick der Wissenschaft und ihrer Probleme, selbst zu mathematischem Denken disponiert, gelangte er zuerst zu vollerer Einsicht in die seit dem vorigen Jahrhundert allgemeiner durchdringende Wahrheit, daß alle Erscheinungen der unorganischen Welt nur insofern sie durch mathematische Gesetze bestimmt sind, die Eigenschaft der Unveränderlichkeit an sich tragen, welche die Voraussetzung wissenschaftlicher Erkenntnis ist. So erhalten für ihn die mathematischen Gebilde, ihre Eigenschaften und Verhältnisse eine Tragweite, die man bis dahin nicht hatte

ahnen können. Ja sie reichte über die Physik hinaus, indem sein philosophischer Geist nicht bei dem einzelnen demonstrabeln Gesetz sich beruhigte, sondern zu den für alle Gattungen mathematischer Größen gemeingültigen Begriffen und Verhältnissen, zuletzt zu einer Philosophie der Mathematik durchdrang, die sich mit der letzten Gestalt seiner Metaphysik deckte.“ Praeterea autem hic locus illustratur libri duodecimi loco, ad quem postea redibimus. Ubi p. 966 C ita: *μῶν οὐχ ἓν τῶν καλλίστων ἐστὶ τὸ περὶ τοὺς θεούς, ὃ δὴ σπουδῇ διεπερανάμεθα, ὡς εἰσί τε καὶ ὅσης φαίνονται κύριοι δυνάμεως, εἰδέναι τε εἰς ὅσον δυνατόν ἐστι ταῦτ' ἄνθρωπον γιγνώσκειν καὶ τοῖς μὲν πλείστοις τῶν κατὰ πόλιν ξυγγιγνώσκειν τῇ φήμῃ μόνον τῶν νόμων συνακολουθοῦσι, τοῖς δὲ φυλακῆς μεθέξουσι μηδὲ ἐπιτρέπειν ὃς ἂν μὴ διαπονήσττηαι τὸ πᾶσαν πίστιν λαβεῖν τῶν οὐσῶν περὶ θεῶν;* Theologia igitur una e pulcherrimis disciplinis et sane earum summa nominatur. Astra enim Plato deos dicit. Itaque quicunque deorum naturam pernoscere vult, ei mathematica et astronomia adhibendae sunt.

His expositis quaerendum est, qui totus hic locus inde a verbis *τῷ πλήθει δὲ* usque ad *μαχεῖσθαί ποτε* (p. 818 A—E) cohaereat cum eis quae antecedunt. Atque hoc, brevis ut sim, universo huic loco inesse persuasum habeo: Omnes homines ingenuos elementis mathematicae et astronomiae imbui necesse est. Minime tamen opus est quemque in reconditis harum artium studiis versari et ad elegantiam quandam huius doctrinae perfectionemque pervenire, sed idcirco ea omnibus discenda sunt, quia turpe est hominem prorsus imperitum atque iuscium esse earum rerum quae pro fundamento habendae sunt omnium artium pulcherrimarum, quibus naturae leges sempiternae cognoscuntur, quibus ipsi di immortales coercentur. Hac mihi interpretatione omnes difficultates esse sublatae videntur prorsusque supervacanea Ritteri quaestio admodum spinosa, quam instituit de vocabuli *ἀναγκαῖος* adhibendi ratione, secundum quam modo absolute modo relative prorsus diverso sensu ponatur. Semper enim vocabulum *ἀναγκαῖος* simplicem vim habet necessarii. Necessaria est mathematica dis daemonibusque, quia ipsi quoque legibus mathematicis tenentur, necessaria est hominibus, quod omissa atque neglecta eis turpitudinem affert.

Totum locum si contemplamur, intellegimus Platonem hic de elementis trium illarum disciplinarum: arithmeticae, metreticae, astronomiae omnibus pueris discendis verba facere, non de elegantia doctrinae paucis tantum appetenda, de qua tamen infra se locuturum esse profitetur. Nimirum autem iam hic quamvis breviter ostendere debet, cur haec scientia re vera necessaria

omnibus sit. Eadem ratio valet in eis quae iusequuntur, quae ipsa quoque ad omnes ingenuos educandos, non ad paucos reconditiore doctrina instruendos referenda sunt. Quod cum ex universa huius loci ratione atque indole apparet tum ab ipso Platone identidem claris verbis dicitur:

p. 819 A: *τοσάδε τοίνυν ἑκάστων χρὴ φάναι μανθάνειν δεῖν τοὺς ἐλευθέρους, ὅσα καὶ πάμπολυς ἐν Αἰγύπτῳ παίδων ὄχλος ἅμα γράμμασι μανθάνει.* p. 820 D: *ταῦτα τοίνυν ἐγὼ μέν, ὦ Κλεινία, φημὶ τοὺς νέους δεῖν μανθάνειν· καὶ γὰρ οὔτε βλαβερὰ οὔτε χαλεπά ἐστι, μετὰ δὲ παιδιᾶς ἅμα μανθανόμενα ὠφελήσει μέν, βλάψει δὲ ἡμῖν τὴν πόλιν οὐδέν.* p. 820 E: *ἄστρων δὴ τὸ μετὰ ταῦτα ὅρα τὴν μάθησιν τοῖς νέοις, ἂν ἡμᾶς ἀρέσκῃ λεχθεῖσα ἢ καὶ τοὐναντίον.* p. 821 C: *ταῦτ᾽ ἔστι τοίνυν, ὦ Μέγιλλέ τε καὶ Κλεινία, νῦν ἃ δή φημι δεῖν περὶ θεῶν τῶν κατ᾽ οὐρανὸν τούς γε ἡμετέρους πολίτας τε καὶ τοὺς νέους τὸ μέχρι τοσούτου μαθεῖν περὶ ἁπάντων τούτων, μέχρι τοῦ μὴ βλασφημεῖν περὶ αὐτά, εὐφημεῖν δὲ ἀεὶ θύοντάς τε καὶ ἐν εὐχαῖς εὐχομένους εὐσεβεῖν.* p. 821 E: *ἀλλὰ τί καὶ φῂς τοῦτο τὸ μάθημα, ὃ θαυμαστὸν μὲν λέγεις, προσῆκον δ᾽ αὖ μαθεῖν τοῖς νέοις;* Haec totius loci natura quamquam verbis tam planis ab ipso Platone indicatur, tamen viros doctos videtur praeterisse. Mirati enim sunt, cur Plato in rebus mathematicis et astronomicis afferendis dicendi ratione tam brevi et idcirco aliqua ex parte obscura utatur (cf. Ritteri com. p. 249): Plato nihil aliud proferre voluit nisi quae pueris ingenuis omnibusque civibus essent discenda, neque tamen rationem reddere novae cuiusdam doctrinae. Hac de causa elementa tantummodo mathematicae et astronomiae atque ea paucissimis verbis significavit. Itaque erravit etiam Stallbaumius, qui ita de hoc loco (l. s. p. 448): „Quae disputatio profecto ita est comparata, ut qui eam attente perlegerint, ii certe facile illis cariturí sint, quae Epinomidis auctor longa et prolixa oratione molestaque verborum abundantia de eisdem rebus in medium protulit . . . Quamobrem perverso consilio causam scribendi hinc repetivit adeoque ea, quae deesse viderentur, suo modo supplere atque compensare conatus est, ita quidem, ut ea scribendi opportunitate simul etiam ad deformandam summorum magistratuum institutionem abuteretur.“ Haec omnia prorsus falsa sunt. Nam Epinomidis auctor non puerorum educationem sed paucorum illorum veram doctrinam divinamque sapientiam spectat.

Iam veniamus ad alterum illum locum, quo nititur auctor Epinomidis, lb. XII p. 966 sqq. Quo tamen clarior fiat universa huius loci ratio, incipiendum est a p. 960 B. Inde ab hoc enim loco usque ad finem totius operis agitur de nocturno illo concilio, quod *νυκτερινὸς σύλλογος* appellatur, quodque quasi caput totius

rei publicae esse Plato vult. p. 960 B enim ita: *τῶν πάντων δ᾽ ἑκάστοτε τέλος οὐ τὸ δρᾶσαί τι σχεδὸν οὐδὲ τὸ κτήσασθαι κατοικίσαι τ᾽ ἐστίν, ἀλλὰ τῷ γεννηθέντι σωτηρίαν ἐξευρόντα τελέως ἀεὶ τότ᾽ ἤδη νομίζειν πᾶν ὅσον ἔδει πραχθῆναι πεπρᾶχθαι, πρότερον δ᾽ἀτελὲς εἶναι τὸ ὅλον.* In eis quae sequuntur explicatur semper in omnibus rebus id spectandum esse, ut firmitatem atque constantiam, ut *σωτηρίαν* habeant. Ita etiam in re publica constituenda id esse quaerendum, quod quasi ancora sit rei publicae tuendae atque conservandae. Atque esse hoc nocturnum illud concilium, quod quibus ex hominibus constet, p. 961 A B explicatur.[1]) Quo tamen clarius reddat, quid existimet simulque ostendat, cur illi concilio talem vim inesse sibi persuaserit, Plato exemplis nonnullis utitur, quae ita interpretanda esse censeo (p. 961 D—962 A): Cuiuslibet animantis salus (*σωτηρία*) posita est in recta coniunctione sensuum (*αἴσθησις*) et mentis (*νοῦς*); ipsa autem *σωτηρία*, quo omnia debent spectare, appellari potest finis (*σκοπός*). Ita in arte gubernatoria finis sensuum et mentis coniunctionis est ipsius navis hominumque salus. In medicina finis coniunctionis illius sensuum et mentis est sanatio aegroti et is solus, qui illum finem novit, medici nomine dignus est. Similiter in arte imperatoria finis coniunctionis sensuum et mentis est victoria ab hostibus reportanda neque is, qui hunc finem ignorat, imperator vere ducendus est. Ita etiam in arte rei publicae gubernandae, ut res publica salva sit atque firma, coniunctio illa sensuum et mentis ad finem aliquem, *σκοπὸν πολιτικόν*, spectare debet et is solus, qui eum novit, dignus iudicandus est, qui illi praesit et *ἄρχων* appelletur (p. 962 A). Itaque in re publica aliquid insit necesse est, quod noverit finem politicum, quod si deest, expers rectae illius coniunctionis sensuum et mentis tota res publica putanda est et quasi perfectione caret (p. 962 B). Hoc institutum, quod nocturnum illud concilium esse Clinias recte dicit, omnis virtutis particeps esse debet, quae praecipue in eodem semper cursu tenendo apparebit (p. 962 D). Iam quaeritur, quid sit illud unum, quo cursus semper tenendus, quo spectandum semper sit in re publica gubernanda. Atque Clinias dicit se identidem iam in disserendo virtutem esse debere finem politicum posuisse et inter quattuor virtutis partes rursus mentem esse, quo reliquae spectent (p. 963 A. cf. I p. 631 sqq.). Hoc Atheniensis concedit et se gaudere affirmat de Cliniae responso („*κάλλιστ᾽ ἐπακολουθεῖς*“); tamen significat id sibi non prorsus sufficere. Nam esse etiam mentem

---

[1]) Iam p. 951 D sq. de hac re actum erat, quo Plato hic aperte respicit.

gubernatoriam medicam imperatoriam, itaque debere etiam esse mentem politicam, quae qualis sit adhuc quaeri. Interroganti tamen Clinias respondere nequit, immo rogat, ut exemplo aliquo usus quid ipse de hac re sentiat ostendat (p. 963 A—C). Atheniensis autem exemplo utitur virtutis, quae quamquam in quattuor partes seiungitur, tamen eadem una est et quo magis appareat quid sentiat, ex his quattuor virtutis partibus duas, fortitudinem et mentem, eligit, ut in his et qua re inter se seiungantur et quid utrique commune sit, demonstret. Ac primum quidem ipse Atheniensis agit de discrimine, quod interest inter utramque virtutem. Fortitudo enim etiam bestiis, hominibus infantibus, cuilibet animanti, etiamsi rationis expers est, natura potest inesse, mens tamen nemini unquam nisi rationis participi contingit (p. 963 C—E). Deinde Atheniensis a Clinia petit, ut quid commune sit fortitudinis et mentis demonstret (id quod sane ab eo non fit); tum se quaesiturum esse profitetur, utrum qualibet in re, cui et nomen et ratio inest, is sciens iudicandus sit, qui nomen noverit, rationem reddere nequeat, an sit turpe quemquam, qui aliquid valeat, rerum magnitudine et pulchritudine excellentium rationem reddere non posse. Atqui nihil est, quod in legumlatore omnibusque qui in re publica administranda plus reliquis valeant, magnitudine antecedat quattuor illis virtutibus. Itaque necesse est summos rei publicae magistratus qualibet in re, quaecumque sit proposita, cuilibet petenti virtutis eiusque contrarii rationem reddere posse. Quod ut fiat, subtiliore aliqua reliquis atque elegantiore doctrina summi illi magistratus instituendi sunt, quae ad virtutis naturam rationemque pernoscendam pertineat: *ἢ τίνα τρόπον τῇ τῶν ἐμφρόνων κεφαλῇ* (i. e. menti) *τε καὶ αἰσθήσεσιν ὁμοιωθήσεται ἡμῖν ἡ πόλις, ὡς τοιαύτην τινὰ φυλακὴν κεκτημένη ἐν αὑτῇ* (p. 964 A—D). Hac effigie (*κεφαλή* et *αἴσθησις* rei publicae) diligenter descripta rursus dicit p. 965 A: *ἰτέον ἄρα ἐπί τινα ἀκριβεστέραν παιδείαν τῆς ἔμπροσθεν.* Deinde quaerit sitne doctrina illa, quae in ratione virtutis cognoscenda versetur, ea, qua opus sit summis rei publicae magistratibus, id quod Clinias nimirum concedit. Atque primum quidem nova quae nunc sequitur de hac re quaestio supervacanea videtur. Tamen altius intuenti apparet nunc ipsum propriam incipi quaestionem, cum adhuc Atheniensis exemplum tantummodo quod rei illustrandae causa Clinias ab eo petivit (p. 963 C), protulerit. Minime enim reconditior illa scientia, quam summi rei publicae magistratus habeant necesse est, ad unius virtutis rationem pernoscendam pertinet, sed aliarum quoque rerum et quidem omnium, quae magnitudine et pulchritudine antecellunt (p. 964 A: *περὶ τῶν διαφερόντων μεγέθει τε καὶ κάλλει*). Haec sine dubio in eis quae sequuntur insunt.

Atque primum Atheniensis rursus interrogat sitne concessum — id quod virtutis exemplo demonstratum est — eum qui rei publicae praesit, non solum multitudinem aliquam rerum et notionum sed etiam id cognoscere debere, quod rerum nonnullarum commune est. Hoc postquam Clinias concessit, Atheniensis pergit nullam omnino inveniri posse subtiliorem doctrinam quam sit ea, quae multarum rerum unam ideam cognoscere possit (p. 965 C). Itaque haec facultas necessaria est summis magistratibus verae atque divinae rei publicae, prinum ut in virtutis quattuor partibus agnoscant, quid sit omnium commune, qua doctrina si carebunt, detrimentum capiet res publica. Clinias minirum necessarium hoc esse concedit statimque interrogat p. 965 E: *ἀλλὰ δὴ πῶς τις τοῦτ᾽ ἂν μηχανῷτο*; quippe qui putet rem esse absolutam. Tamen Atheniensis: nondum, inquit, nobis quaerendum est qua via atque ratione utamur in summis illis magistratibus virtutis scientia instituendis. Nam minime omnia iam pertractata sunt. Immo vero adhuc quaeritur idemne, quod in virtute summis magistratibus pernoscenda valeat, valeat etiam in pernoscendis eis, quae pulchritudine excellunt. Hoc quoque postquam a Clinia concessum est Atheniensis postulat, ut omnium rerum gravium ei, qui vere custodes legum sint, rationem reddere queant (p. 965 C—966 B). Omnium autem pulcherrima atque gravissima scientia est ea, quae in dis immortalibus cognoscendis versatur nec unquam fieri potest, ut is, qui huius scientiae expers est, ad summos magistratus admittatur atque in eorum numero habeatur, qui virtute re vera reliquis antecedunt (p. 966 C D). Deinde Atheniensis copiose ostendit quam necessarium sit rerum divinarum studium probatque perversissimam atque ineptissimam esse hominum opinionem, qui impios arbitrentur eos, qui huic studio operam dent: immo vero eam esse unam ac singularem viam, qua homines veram erga deos pietatem consequantur. Itaque qui hanc scientiam non adeptus erit praeter vulgares illas virtutes, is nunquam suo iure dux rei publicae iudicandus est (p. 966 D—968 A, imprimis cf. p. 967 D sq.).

His expositis rursus universum hunc locum inde a p. 960 B usque ad p. 968 A animo quasi perlustremus quaeramusque quae sit summa omnium eorum, quae hic a Platone tractantur. Atque id sibi proposuerat Plato, ut finem imponeret legibus firmitatemque et constantiam, *σωτηρίαν*, constitutis pararet. Itaque aliqui magistratus, *ὁ νυκτερινὸς σύλλογος*, instituendus est, qui videat ut firma sit res publica, id quod tamen efficere nequit, si omnino ignorat, qua in re firmitas ac salus rei publicae posita sit i. e. si finis politici (*σκοπὸς πολιτικός*) nescius est. Quare agitur de fine

politico constituendo. Haec omnia quamquam prorsus aperta sunt, tamen qui tandem sit quem Plato constituerit finis politicus, difficile est ad intellegendum. Atque Ritterus l. s. p. 354 ita: „Es handelt sich um die Feststellung des *σκοπὸς πολιτικός*. Megillos und Kleinias, von dem Athener dazu aufgefordert und auf das Beispiel des Steuermannes, Arztes und Heerführers hingewiesen, von denen jeder ein klares Ziel vor Augen hat, in dessen Verfolgung und Erreichung sich eben ihre *τέχνη* bewährt, erklären sich außer Standes, auch für den Staatsmann ein solches Ziel anzugeben. Der Athener aber fährt fort mit der Frage: *τί δ' ὅτι δεῖ προθυμεῖσθαί τε καὶ ξυνιδεῖν αὐτὸ καὶ ἐν οἷς;* (p. 963 C). Diese Frage versteht Kleinias nicht sicher; anstatt zu antworten, bittet er um nähere Erklärung: *οἷον ἐν τίσι λέγεις*, ‚zeige mir an einem Beispiel, wie du das verstehst, was du damit sagen willst'. Der Athener wählt zur Veranschaulichung das Verhältnis der *εἴδη τέτταρα ἀρετῆς*, von denen jedes für sich auch Eines ist, zu dem einheitlichen Begriff *ἀρετή* (der *μία ἰδέα*) ... Nun erwartet man eigentlich die Anwendung des Beispieles auf die Sache, die zur Untersuchung gestellt war. Allein diese Anwendung folgt nicht. Und sie kann nicht folgen; denn wie man sich bei näherer Besinnung leicht überzeugt: unter dem Scheine, als ob er ein beliebiges Beispiel anführe, hat der Athener eben den *σκοπὸς πολιτικός* selbst schon beleuchtet. Denn die *ἀρετή* eben ist es, was diesen ausmacht“ et q. s. Mea quidem sententia Ritterus universam huius loci rationem non penitus perspexit. Namque non virtus sola peculiaris, sed praecipue pietas erga deos, quae nitatur necesse est recta atque vera eorum cognitione, *σκοπὸς πολιτικός* ille iudicandus est, quem homines ut assequantur, in omnium rerum magnitudine pulchritudine gravitate excellentium i. e. in pulcherrimarum disciplinarum studio versari debent. Atque haec praecipue ad sententiam meam probandam afferam: p. 964 A Plato ita: *καὶ δὴ μετὰ τοῦτο σκοπῶμεν τὸν εἰδότα ἱκανῶς περὶ ὡντινωνοῦν, οἷς ἔστι μὲν ὄνομα, ἔστι δὲ αὖ καὶ λόγος, πότερον μόνον ἐπίστασθαι τοὔνομα χρεών, τὸν δὲ λόγον ἀγνοεῖν, ἢ τόν γε ὄντα τὶ καὶ περὶ τῶν διαφερόντων μεγέθει τε καὶ κάλλει πάντα τὰ τοιαῦτα ἀγνοεῖν αἰσχρόν.* Omnium igitur rerum magnitudine et pulchritudine praestantium posse rationem reddere homo vere sapiens debet. In eis autem quae insequuntur de virtute agitur, quae magnitudine inter cetera omnia excellere dicitur, nondum de rebus pulchritudine excellentibus: *μεῖζον δή τι ... ἢ ταῦτα αὐτὰ περὶ ὧν νῦν λέγομεν, ἀνδρεία, σωφροσύνη, δικαιοσύνη, φρόνησις;* (cf. p. 964 B — 965 E). Itaque si cum Rittero facimus, unamque virtutem, quae proprie dicitur, esse finem politicum ponimus, verba *τε καὶ κάλλει* (p. 964 B) prorsus supervacanea sunt, itemque supervacanea omnia, quae post p. 965 E

sequuntur. Agitur enim inde a p. 966 A de rebus pulchritudine et omnino gravitate praestantibus: *τί δαὶ δή; περὶ καλοῦ τε καὶ ἀγαθοῦ ταὐτὸν τοῦτο διανοούμεθα*; et deinde p. 966 B: *περὶ πάντων τῶν σπουδαίων ἆρ' ἡμῖν ὁ αὐτὸς λόγος* et q. s. Ne Ritterus quidem negare potest etiamnunc agi de fine politico constituendo nec tamen Platonem de sola virtute, sed de aliis quoque rebus, scil. de omnibus gravibus verba facere. Sed ne nunc quidem causa absoluta est. Nova enim instituitur quaestio de rebus divinis perscrutandis, de deorum natura cognoscenda, de pietate erga deos adhibenda et in fine omnis huius quaestionis Plato ita p. 968 A: *ὁ δὲ μὴ ταῦθ'* (scil. ut uno verbo comprehendam theologiam) *οἷός τ' ὢν πρὸς ταῖς δημοσίαις ἀρεταῖς κεκτῆσθαι σχεδὸν ἄρχων μὲν οὐκ ἄν ποτε γένοιτο ἱκανός* et q. s. Iam adhibeamus eum locum, unde haec omnis causa ducta est p. 962 A: *τί δὲ δὴ περὶ πόλιν; εἴ τις τὸν σκοπὸν οἷ βλέπειν δεῖ τὸν πολιτικὸν φαίνοιτο ἀγνοῶν, ἆρα ἄρχων μὲν πρῶτον δικαίως ἂν προσαγορεύοιτο, εἶτα σῴζειν ἂν δυνατὸς εἴη τοῦτο, οὗ τὸν σκοπὸν τὸ παράπαν μηδ' εἰδείη;* Deorum igitur recta scientia quaeque in hoc fundamento posita est vera pietas, finis politicus appellandus est. Itaque „Civitas Dei“ est res publica ea quam Plato in Legibus suis finxit estque divina illa scientia quo omnia spectare debent, cuius omnes disciplinae quasi ancillae sunt atque imprimis nimirum eae, quae praecipue ad deos (i. e. sidera) cognoscendos pertinent: mathematica et astronomia. Sane legumlatur in legibus omnibus constituendis virtutem spectare summique magistratus ut recte iis utantur — sicuti p. 964 B sqq. descriptum est — posse virtutis rationem reddere debent: tamen est aliquid altius propria atque humana virtute et penitus ut salvae sint leges omnisque res publica, vera illis atque divina sapientia i. e. deorum cognitio appetenda est. Hoc autem prorsus idem est, quod supra p. 818 A sq. de paucis illis subtiliore reliquis doctrina instituendis se explicaturum esse Plato promisit, prorsusque idem, quod auctor Epinomidis tractandum sibi proposuit. Quid sit in hoc consilio inepti atque perversi, quod Stallbaumius affirmat, equidem non intellego. Professus sane est Plato necessariam esse deorum cognitionem vero rei publicae gubernatori, sed ipsam deorum naturam paucissimis verbis tetigit et usque eo tantum, ut necessariam esse eam scientiam possit probare. Tamen minime adhuc cognoscendi rationem diligenter descripsit neque id facere debuit in opere eo, quod ad leges novae rei publicae condendas pertinet. Nihilo minus autem perfacile comprehendimus sive ipsum Platonem sive alium eo perductum esse, ut hanc quasi lacunam suppleret diligentiusque eam scientiam describeret, qua salus universae rei publicae et vera sapientia nitatur. Hoc consilium auctor Epinomidis exsecutus est.

Restat tamen alia difficultas in extrema totius operis parte,
ad quam interpretandam nunc veniamus. Fine enim politico de-
finito postquam inter Atheniensem et Cliniam convenit necessarium
esse ad rem publicam conservandam nocturnum illud concilium,
quod in divinae scientiae studio versetur, Clinias ita ad Atheniensem
p. 968 B; *ἀλλ', ὦ ξένε, παντὸς μὲν μᾶλλον ταύτῃ πορευτέον, ᾗπερ καὶ*
ὁ θεὸς ἡμᾶς σχεδὸν ἄγει· τίς δὲ ὁ τρόπος ἡμῖν γιγνόμενος ὀρθῶς
γίγνοιτ' ἄν, τουτὶ δὴ τὰ νῦν λέγωμέν τε καὶ ἐρευνῶμεν. Petit igitur
ab Atheniensi ut exponat, quo modo quasque secundum leges
nocturnum concilium instituendum atque instruendum sit. Inter-
roganti Atheniensis ita: *οὐκέτι νόμους, ὦ Μέγιλλε καὶ Κλεινία, περὶ*
τῶν τοιούτων δυνατόν ἐστι νομοθετεῖν, πρὶν ἂν κοσμηθῇ· τότε δὲ κυρίους
ὧν αὐτοὺς δεῖ γίγνεσθαι νομοθετεῖν. ἀλλὰ ἤδη τὸ τὰ τοιαῦτα κατα-
σκευάζον διδαχὴ μετὰ ξυνουσίας πολλῆς γίγνοιτ' ἄν, εἰ γίγνοιτο ὀρθῶς.
Iam non igitur, sicuti adhuc fecit, se nunc de his rebus certas
leges constituere posse Atheniensis affirmat, priusquam ipsa res
publica sit constituta. Tum demum eos, qui ius potestatemque
habeant, has quoque res certis legibus sancire debere. Sed iam
ad talia praeparanda et instituenda multis praeceptis multisque
deliberationibus atque consiliis opus esse.

Haec per se admodum difficilia sunt ad intellegendum neque
Clinias plane cognoscit, quo spectent verba Atheniensis. Itaque
rursus interrogat: *πῶς; τί τοῦτο εἰρῆσθαι φῶμεν αὖ;* Cui haec
Atheniensis respondet: *πρῶτον μὲν δή που καταλεκτέος ἂν εἴη κατά-*
λογος τῶν ὅσοι ἐπιτήδειοι πρὸς τὴν τῆς φυλακῆς φύσιν ἂν εἶεν ἡλικίαις
τε καὶ μαθημάτων δυνάμεσι καὶ τρόπων ἤθεσι καὶ ἔθεσι· μετὰ δὲ τοῦτο,
ἃ δεῖ μανθάνειν, οὔτε εὑρεῖν ῥᾴδιον οὔτε εὑρηκότος ἄλλου μαθητὴν
γενέσθαι. πρὸς τούτοις δὲ χρόνους, οὕς τε καὶ ἐν οἷς δεῖ παραλαμβάνειν
ἕκαστα, μάταιον ταῦτ' ἐν γράμμασι λέγειν· οὐδὲ γὰρ αὐτοῖς τοῖς μαν-
θάνουσι δῆλα γίγνοιτ' ἄν, ὅ τι πρὸς καιρὸν μανθάνεται, πρὶν ἐντὸς τῆς
ψυχῆς ἑκάστῳ τοῦ μαθήματος ἐπιστήμην γεγονέναι. οὕτω δὴ πάντα
τὰ περὶ ταῦτα ἀπόρρητα μὲν λεχθέντα οὐκ ἂν ὀρθῶς λέγοιτο, ἀπρόρρητα
δὲ διὰ τὸ μηδὲν προρρηθέντα δηλοῦν τῶν λεγομένων. Optime mihi
in interpretatione progrediendum videtur a postrema sententia *οὕτω*
δή et q. s., quam Stallbaumius recte ita interpretatur: „quocirca
haec omnia (quae de custodibus eorumque institutione sunt san-
cienda) ineffabilia quidem si quis dixerit non recte dicentur; at
non praedicta (i. e. quae praedici non possint) eadem recte iudica-
buntur, propterea quod, etiamsi praedicantur, tamen nihil declarent
eorum, de quibus agatur.“ Itaque quamquam agendum erit de
eis rebus, tamen nondum nunc, sed tum demum, cum ipsa res
publica constituatur, imprimis cum ipsi homines praesto sint, qui
incolant novam urbem, quam Clinias constituturus est. Tum eligendi

sunt ex illis hominibus ei, qui et moribus atque indole et scientia atque ingenio idonei videntur, qui summis magistratibus fungantur nocturnoque concilio intersint. Deinde habita nimirum ratione eorum indolis atque naturae constituenda sunt singula, quae iis discenda sunt, ut recte officio summi magistratus fungi possint, quae sane nequaquam facile et inveniuntur et discuntur. Atque in ipso erudiendo et discendo optime apparebit, quae temporis ratio in instituenda disciplina adhibenda sit, quod nunc quidem prorsus esset supervacaneum. Namque nemo nisi ipsi discipuli sciunt utrum rem aliquam perceperint necne, quandoque novi aliquid possint addiscere. Quae omnia postquam confecta electique illi verae atque divinae scientiae participes facti sunt, tum demum ab his ipsis certae leges constituendae sunt, quae ad nocturnum concilium temperandum pertineant. Ita si hunc locum interpretamur, omnes difficultates mihi sublatae videntur. Neque enim de numero eorum, qui perfectae civitatis concilio intersint neque qui magistratus digni hoc honore iudicandi sint, quae omnia supra (cf. p. 951 D sq. et p. 961 A sq.) lege sancta sunt, hoc loco quidquam profertur. Immo significatis breviter difficultatibus eis quae existant necesse sit in hominibus ad hanc rem idoneis eligendis artibusque instituendis, affirmatur nunc quidem, priusquam ipsi homines adsint novaque res publica sit condita, certas de his rebus leges nondum constitui posse. Quae si tenemus simul supervacanea fit Ritteri huius loci interpretatio satis artificiosa.

Iam veniamus ad extremam operis partem. Admodum speciose et facete Plato Cliniam interrogantem facit: *τί οὖν δὴ ποιητέον ἐχόντων τούτων οὕτως, ὦ ξένε;* Namque non sine aliqua animi perturbatione Clinias miratur, quod Atheniensis, quamquam de omnibus fere rebus certas leges constituit, de nocturno concilio, quod caput totius rei publicae putandum sit, se certi quidquam praescribere posse negat. Atheniensis tamen quasi consolatus eius animum auget, ut nihilo minus rem sane difficillimam atque periculosam, qualis est rem publicam condere, subeat. Deinde autem ita pergit (p. 969 A): *ἐγὼ δ' ὑμῖν συγκινδυνεύσω τῷ φράζειν τε καὶ ἐξηγεῖσθαι τά γε δεδογμένα ἐμοὶ περὶ τῆς παιδείας τε καὶ τροφῆς τῆς νῦν αὖ κεκινημένης τοῖς λόγοις.* Aperte igitur dicit se ipsum quoque in opere conficiendo adfuturum esse atque ita, ut disciplinam eam, quam modo tetigerat i. e. concilii nocturni instruendi rationem exponat. Deinde postquam Atheniensis paucis praeterea adiectis finem loquendi fecit, Megillus ita: *ὦ φίλε Κλεινία, ἐκ τῶν νῦν ἡμῖν εἰρημένων ἁπάντων ἢ τὴν πόλιν ἐατέον τῆς κατοικίσεως ἢ τὸν ξένον τόνδε οὐκ ἀφετέον, ἀλλὰ δεήσεσι καὶ μηχαναῖς πάσαις κοινωνὸν ποιητέον ἐπὶ τὴν τῆς πόλεως κατοίκισιν,* id quod Clinias nimirum concedit.

Itaque ex hac extrema operis parte comperimus Atheniensem etiam postea rei publicae a Clinia constitutae operam daturum esse atque ea in re, quae nondum satis exposita est i. e. in summa illa scientia veraque sapientia definienda et explicanda. Eiusmodi autem expositio Epinomide continetur. Itaque quod ipse Plato promisit, confecit auctor Epinomidis. Atque fingere eum — sicut extrema Legum pars postulat — hunc dialogum posteriore aliquo tempore haberi, ex ipso eius initio patet: *πρὸς μὲν τὸ τῆς ὁμολογίας ἥκομεν ἅπαντες*: sicuti tum inter nos convenerat, nunc rursus adsumus. Etiam verba: *ἐγὼ καὶ σὺ καὶ Μέγιλλος ὅδε* supervacanea, ne dicam inepta essent, si Epinomis nihil esset nisi tertius decimus Legum Platonicarum liber, si etiamnunc in eodem sermone illi pergerent quo in ipso Legum opere. Idem autem mihi apparere videtur ex Epin. p. 980 CD: *θεογονίαν τοίνυν καὶ ζωογονίαν ἀναγκαῖον, ὡς ἔοικε, πρῶτόν μοι κακῶς ἀπεικασάντων τῶν ἔμπροσθεν βέλτιον ἀπεικάσαι κατὰ τὸν ἔμπροσθεν λόγον, ἀναλαβόντα ὃν πρὸς τοὺς ἀσεβεῖς ἐπικεχείρηκα λόγους, φράζων, ὡς εἰσὶ θεοὶ ἐπιμελούμενοι πάντων, σμικρῶν καὶ μειζόνων, καὶ σχεδὸν ἀπαραμύθητοι τῶν περὶ τὰ δίκαιά εἰσι πράγματα — εἰ δὴ μέμνησθέ γε, ὦ Κλεινία· ἐλάβετε μὲν γὰρ δὴ καὶ ὑπομνήματα· καὶ γὰρ ἦν τὰ ῥηθέντα τότε μάλα ἀληθῆ.* Aperte enim auctor hic mentionem facit Legum Platonicarum libri decimi, quo de dis colendis agitur. Neque tamen priorem illam quaestionem repetit tamquam modo in eodem sermone habitam, sed quasi longo intervallo intermisso litteris mandatam in eorum memoriam revocaturus.

Quae omnia si contemplamur concedamus necesse est consilium auctoris Epinomidis non ineptum esse nec supervacaneum sed id, quod ipsarum Legum Platonicarum certo fundamento nitatur.

Sed ne nunc quidem causa absoluta est. Nam ipsa haec Legum capita, ubi de nocturno concilio agitur, multos variosque viris doctis scrupulos praebuerunt, quos quamquam haec res a proprio huius dissertationis argumento aliena est, tamen mihi quoque quamvis breviter tangendos putavi. Atque primo loco afferam Th. Bergkii de Legibus commentationem.[1]) Qui probare conatur nos integras Leges Platonicas iam non habere. Ponit enim Platonem Leges suas bipertitas composuisse, quarum altera pars *δευτέραν πολιτείαν* sive *προτέρους νόμους* continuerit, altera *τρίτην πολιτείαν* sive *δευτέρους νόμους*. E quibus illam partem in universum quidem interisse, hanc esse rem publicam eam, quam etiamnunc in Legibus habeamus, paucis tamen *δευτέρας πολιτείας*

[1]) In: Fünf Abhandl. zur Gesch. der gr. Philos. u. Astr. (ed. Hinrichs) 1883 p. 43 sqq.

fragmentis a Philippo Opuntio, Legum editore, admixtis. Eiusmodi autem fragmentum esse maiorem nocturni concilii partem (p. 961 C — p. 968 A) quippe qui locus et ab eis quae antecedunt et ab eis quae insequuntur plane abhorreat. Sed quam infirma sit Bergkii sententia optime intellegitur ex eis verbis, quibus tamquam fundamento tota eius argumentatio nititur (p. 62): „Plato hatte beide Abteilungen der *Νόμοι* in allen wesentlichen Punkten ausgearbeitet ... aber seine nachgelassenen Papiere waren nicht nur ungeordnet, sondern durch irgend einen unglücklichen Zufall waren die *πρότεροι Νόμοι* großenteils vernichtet, so daß nur vereinzelte Bruchstücke vorlagen“: ille casus mera coniectura est. Atque ut ad singula accedamus, Bergkius p. 101 affirmat illud fragmentum (scil. p. 961 C — p. 968 A) ab omni conexu esse solutum. Huc adnotat haec: „Nur scheinbar wird am Eingange die gegen Ende des vorhergehenden Abschnittes begonnene Erörterung fortgesetzt, während schon die Formel *τὸ μετὰ τοῦτο* den Anfang einer neuen Gedankenreihe ankündigt.“ Sane novum aliquid incipit. Quoniam enim actum est de hominibus, qui concilio intersint, ad eius rationem atque finem explicandum Plato transit. Sed quo iure inde colligi possit hunc ordinem esse perturbatum equidem non intellego. Aliud autem sententiae suae argumentum Bergkius non protulit. Idem iudicandum est de eo, quod Bergkius de p. 968 A i. e. de fine illius fragmenti statuit (p. 96). Atque adhibet verba haec: *ὁρᾶν δὴ χρεὼν νῦν, ὦ Κλεινία καὶ Μέγιλλε, ἤδη πρὸς τοῖς εἰρημένοις νόμοις ἅπασιν, ὅσους διεληλύθαμεν, εἰ καὶ τοῦτον προσοίσομεν ὡς φυλακὴν ἐσόμενον κατὰ νόμον χάριν σωτηρίας, τὸν τῶν ἀρχόντων νυκτερινὸν σύλλογον παιδείας ὁπόσης διεληλύθαμεν κοινωνὸν γενόμενον.* De verbis quae sunt inde a *τὸν τῶν ἀρχόντων* sic iudicat: die ... Worte sind unverkennbarer Zusatz des Philippos, der das Pronomen *τοῦτον*, welches auf Früheres zurückweist, aber in dem Vorangehenden keine Stütze hat, verdeutlichen und durch den Hinweis auf die Erörterungen über die *παιδεία* mit dem vorigen Abschnitte zu verknüpfen suchte. Außerdem hat Philippos sich die Korrektur *τοῦτον* gestattet; die ursprüngliche Lesart war *τοῦτο*, wie 968 B zeigt: *καὶ μὴν πρός γε τὸ τοιοῦτον ἁμιλληθῶμεν πάντες* et q. s. Haec quoque mera coniectura est, quae per se fortasse recta esse potest; tamen verba tradita nullam omnino offensionem praebent. Tum demum Bergkii de duobus his locis iudicium probari posset si vera essent ea, quae de universa huius fragmenti ratione statuit. Ita enim a *τρίτῃ πολιτείᾳ* abhorrere eam sibi persuasit, ut in *δευτέρᾳ πολιτείᾳ* qui nocturno concilio intersint universam virtutis naturam prorsus perspectam cognitamque habeant necesse sit, in *τρίτῃ πολιτείᾳ* eis vulgari tantummodo et virtute

et disciplina opus sit (p. 101). Sed ne hoc quidem rectum est. Nam ipse Bergkius dicit (p. 97) etiam *τρίτης πολιτείας* concilium in fine politico perspiciendo atque tuendo versari debuisse — locus enim, ubi de hoc concilio agebatur, secundum Bergkium periit —. Atqui ne ipse quidem Bergkius negare poterat eam quoque quam in Legibus habemus rem publicam i. e. *τρίτην πολιτείαν* non in vulgari quadam atque cotidiana probitate, sed in perfectae virtutis summa scil. in deorum cognitione atque sanctitate positam esse. Cuius rationis quasi compendium Plato praebet in prooemio illo pulcherrimo ipsis legibus praemisso IV p. 715 E sqq.: *Ἄνδρες τοίνυν φῶμεν πρὸς αὐτούς, ὁ μὲν δὴ θεός, ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων, εὐθείᾳ περαίνει κατὰ φύσιν περιπορευόμενος* et q. s. Vera autem dei cognitio pietasque quaenam sit, decimo Legum libro cognoscitur. Hunc autem librum, qui ad *τρίτην πολιτείαν* pertinet, aperte respiciunt duo de nocturno concilio loci, qui ad Bergkii *δευτέραν πολιτείαν* referendi sunt: p. 966 C *μῶν οὖν οὐχ ἓν τῶν καλλίστων ἐστὶ τὸ περὶ τοὺς θεούς, ὃ δὴ σπουδῇ διεπεράνάμεθα* et q. s. et p. 967 D: *οὐκ ἔστι ποτὲ γενέσθαι βεβαίως θεοσεβῆ θνητῶν ἀνθρώπων οὐδένα, ὃς ἂν μὴ τὰ λεγόμενα ταῦτα νῦν δύο λάβῃ* et q. s. Eadem igitur dei cognitio est in *δευτέρᾳ* atque in *τρίτῃ πολιτείᾳ*. Et cum dei cognitio finis politicus sit, duae hae quas Bergkius distinguit rei publicae finem politicum habent communem. Ad eundem autem finem politicum percipiendum eandem etiam disciplinam utriusque rei publicae legum custodes amplecti necesse est. Falsa igitur Bergkii de duplici nocturni concilii ratione sententia est. Inde autem sequitur totum hunc de nocturno concilio locum esse unum, cuius singulae partes natura inter se, non interpolatoris artificio optime cohaerent.

Iam ante Bergkium autem J. Brunsius in libro illo: Platos Gesetze vor und nach ihrer Herausgabe durch Philippos von Opus (1880) p. 192 sqq. de nocturno concilio egerat ita, ut alienum id esse a Magnetum colonia in Legibus descripta statueret. Appellat enim totum hunc locum „Reste eines früheren Entwurfes zu einem Werk über die Gesetze, die der Herausgeber in dem Nachlaß des Meisters vorgefunden und in den unfertig überkommenen Dialog von der magnetischen Gesetzgebung mit hineinverarbeitet hat“ (p. 221). Sed quod iam Ritterus (l. s. p. 349) rectissime dixit: tota Brunsii argumentatio uno libri septimi loco supra tractato, ab eo autem prorsus neglecto concidit: p. 818 A: *ταῦτα δὲ ξύμπαντα οὐχ ὡς ἀκριβείας ἐχόμενα δεῖ διαπονεῖν τοὺς πολλοὺς ἀλλά τινας ὀλίγους· οὓς δέ, προϊόντες ἐπὶ τῷ τέλει φράσομεν.* Quibus verbis quam luculentissime Plato dicit se in ipso totius operis fine de eis actu-

rum esse, quae nocturno concilio tractanda sunt. Falso igitur Brunsius p. 220 ponit: „Auch die Gesetzgebung von Magnesia kennt einen nächtlichen Rat. Wie aus den oben besprochenen Stellen des zehnten Buches (X p. 908 A et 909 A, ubi nocturni concilii breviter mentio fit) hervorgeht, sollte dieser aber nicht am Ende, sondern vor dem zehnten Buche besprochen werden, wo er sich indessen heute nicht mehr findet.“ Praeterea autem ex illis verbis apparet elegantiore ceteris civibus disciplina pancos illos esse instituendos, qui nocturno concilio intersint. Inde autem, quod eiusmodi subtilior doctrina a nocturno concilio poscitur, Brunsius colligit hoc consilium a ceteris Legum partibus esse alienum. Itaque haec quoque Brunsii sententia falsa est. Simul autem inde, quod reconditior haec doctrina requiritur, sed nondum descripta est, patet minime supervacaneam aut ineptam esse — id quod tertium est Brunsii argumentum — hanc de nocturno concilio expositionem, etiamsi de ipsis urbis magistratibus iam in sexto libro actum est. His de causis ne Brunsii quidem sententiam stare posse censeo. Simul autem concidit opinio a M. Kriegio prolata (Die Überarbeitung der plat. Ges. durch Philipp von Opus 1896; imprimis p. 10 sqq.), qui cum in universum prorsus cum Brunsio faciat, nocturnum tamen concilium totum ab ipso Platone alienum et Philippo attribuendum esse conicit. Quod si recta sunt, quae de hac re exposui, est nocturnum concilium vere Platonicum, quo fundamento certo atque integro Epinomis nititur, ad quam interpretandam iam accedo. Qua in re quae iam ab interpretibus et recte et satis copiose tractata mihi videbantur, in universum quidem non repetivi.

II.

Primi capitis argumentum est hoc: Hospes Atheniensis, Clinias Cretensis, Megillus Lacedaemonius, eidem quos Plato in Legum opere colloquentes induxerat, iterum convenerunt eam quaestionem instituturi, quae adhuc nondum absoluta erat scil. quae pertinet ad veram sapientiam definiendam. Hunc totius dialogi finem postquam Clinias breviter professus est, Atheniensis ipsius quaestionis initium facit. Atque quod multi ante eum posuerunt, ipse quoque ponit: perpaucos tantum homines vivos beatos esse posse. Quod colligit inde, quod homines, quamvis omnibus viribos nitantur, tamen in universum quidem veram sapientiam consequi nequeant.

p. 973 A: Ad primae sententiae constructionem grammaticam intellegendam hoc tenendum est. Tota periodus in duas partes

dividenda est, quarum prior pertinet usque ad vocabula *τὸ τῆς φρονήσεως ἐπισκεψόμενοι*: „ut inter nos convenerat adsumus sapientiam consideraturi.“ Haec verba *τὸ τῆς φρονήσεως ἐπισκεψόμενοι* posteriore periodi parte accuratius explicantur scil.: „quanam ratione tractandum sit id, quod si perspicitur, efficere censemus, ut habitus humanus optime ad sapientiam se habeat.“

p. 973 B: Atheniensis verba: *ἄτοπον μὴν ἀκούσεσθαί σε λόγον οἶμαι, καί τινα τρόπον οὐκ ἄτοπον αὖ* quid significent, statim ex eis quae insequuntur apparet. Orditur enim in quaerendo ab eo, quod primo obtutu alienum videtur a quaestione instituenda: a multis iam esse pronuntiatum hominem beatum esse non posse et se ipsum quoque ad eorum sententiam accedere. Mox tamen illud *ἄτοπον* fit *οὐκ ἄτοπον*. Nam illa beatitas quam omnes expetunt, pauci consequuntur, nihil aliud est nisi sapientia quae quaeritur (cf. etiam p. 992 C).

— *προστυχεῖς τῷ βίῳ γιγνόμενοι*: *προστυχής* hic vim habet periti, non ignari. Eodum fere modo infra p. 990 D sq. dictum est: *ἣν δὴ γεωμετρίαν ἐκάλεσαν οἱ προστυχεῖς αὐτῇ γεγονότες.*

p. 973 C: *μέχριπερ ἂν ζῶμεν· τοῦτο διορίζομαι· καλὴ δὲ ἐλπὶς τελευτήσαντι τυχεῖν ἁπάντων* et q. s.: haec verba optime cum aliis locis Platonicis tum Phaedonis capitibus 9—13 illustrantur; cf. imprimis p. 67 B: *πολλὴ ἐλπὶς ἀφικομένῳ οἷ ἐγὼ πορεύομαι, ἐκεῖ ἱκανῶς, εἴπερ που ἄλλοθι, κτήσασθαι τοῦτο, οὗ ἕνεκα ἡ πολλὴ πραγματεία ἡμῖν ἐν τῷ παρελθόντι βίῳ γέγονεν.*

p. 973 D: *Ἕλληνές τε καὶ βάρβαροι*: quod hic barbari quoque testes evocantur, auctor sine dubio imprimis de Thracibus cogitavit, unde Bacchi cultus et Orphica mysteria ad Graecos pervenerant (cf. Lobeckii Aglaoph. p. 289 sqq.), quae ipsa hac cogitatione nitebantur vitam humanam esse miseram vinculisque quodammodo et carcere inclusam animam corpore teneri. cf. Herod. V, 4: *Τραυσοὶ . . . τὸν μὲν γενόμενον περιζόμενοι οἱ προσήκοντες ὀλοφύρονται, ὅσα μιν δεῖ ἐπείτε ἐγένετο ἀναπλῆσαι κακά, ἀνηγεόμενοι τὰ ἀνθρωπήια πάντα πάθεα, τὸν δ' ἀπογενόμενον παίζοντές τε καὶ ἡδόμενοι γῇ κρύπτουσι, ἐπιλέγοντες ὅσων κακῶν ἐξαπαλλαχθείς ἐστι ἐν πάσῃ εὐδαιμονίῃ*, qui locus ad hunc Epinomidis locum interpretandum plurimum valet.

p. 974 A: *καὶ χρόνος βραχύς* et q. s. Sensus est hic: id spatium, quod quietem quandam refectionemque homini praebet et fere medium obtinet vitae humanae, brevissimum est ratione habita cum eius temporis, quod quisque tolerabile putat, tum eius, ubi miseriis atque calamitatibus homo cruciatur. Triplex igitur vitae humanae ratio statuitur: propriae calamitates, tempus quo quiescere homini liceat, tempus, quod quisque tolerabile (*μέτριον*)

putet. E quibus *μοχθηρά* sive calamitates quid significent apparet; tempus autem quietis ac refectionis cum medium vitae obtinere dicatur, aetas constans atque firmata esse debet. Sequitur, ut quod dicitur *μέτριον*, adulescentiam et senectutem esse censeamus, quae etsi per se liberae esse possunt propriis calamitatibus, tamen semper in se plus minusve molestiarum habent.

— Pro *μήτοι* cum Astio, Stallbaumio, Turicensibus scribendum videtur *μήτι*. cf. Stallbaumii adnotationem et Hartungium, Part. der gr. Spr. II 155 et 368.

— Pro *οὗτος δὲ σχεδὸν ἀναπνοήν* et q. s. exspectari *ὃς σχεδόν* recte iam Astius animadvertit.

p. 974 A: Par. A habet *ποιήσειαν*, Vat. Ω Ξ alii: *ποιήσει ἄν*, Flor. δ *ποιήσοι ἄν*. Scriptura vulgata, quam plurimi editores receperunt, est: *ποιῆσαι ἄν*, Stallbaumius scribit *ποιήσει' ἄν*. Sane eiusmodi res certe diiudicari non potest. Mihi tamen verisimillimum videtur scribendum esse: *ποιήσειεν ἄν*, qua lectione recepta hiatus vitatur. Auctor enim Epinomidis in hiatibus vitandis prorsus cum Platone sene facit, quod demonstravit Raederus (Über die Echtheit der plat. Briefe, Mus. Rhen. N. S. 61 (1906) p. 427 sqq. cf. imprimis p. 442 et 443). Praeter eos quos adhibuit hiatus in Epinomide inveniuntur hi: p. 974 C *ὅσοι ἐν*, p. 974 C *ἐλπίδι ἴσως*, p. 983 E *ἀλογία εἰ*, p. 987 B *πορεύεται ἄγων*; vitantur alia lectione recepta hi: p. 974 A *ποιῆσαι ἄν*, p. 987 A *Συρία ἱκανῶς*, p. 987 A *εἶναι ἤ* (cf. infra p. 62 sq.). Extant igitur in Epinomide 40 hiatus et cum Epinomis 14 paginas Didotianas contineat, in singulis paginis 2, 86 hiatus inveniuntur. Iam adhibendi sunt numeri ei, qui ad ipsius Platonis dialogos pertinent. Atque praebet hiatus in singulis paginis[1]): Lysis 45, 97; Phaedo 40, 94; Apologia 38, 78; Gorgias 35, 42; Res publica 35, 27; Phaedrus 23, 90; contra: Leges 5, 85; Philebus 3, 70; Timaeus 1, 17; Critias 0, 80; Sophista 0, 61; Politicus 0, 44. Epinomis igitur prorsus cum Platonis senis scriptis facit.

p. 974 B: *ἐπίκλησιν ῥηθῆναι*: vocabulum *ἐπίκλησις*, quod etiam p. 975 B extat, apud Platonem nusqnam invenitur. Nam Critiae p. 114 B codex A habet: *ἐπίκλην*. Non alienum videtur hoc ipso loco ea verba enumerare, quae (secundum Astii lexicon) nisi in Epinomide in operibus Platonicis non inveniuntur: p. 975 A: *ἀλληλοφαγία*, p. 976 A: *ληΐζεσθαι*, p. 976 B: *παρασφάλλεσθαι*, p. 976 D: *πάρεξ*, p. 979 A: *ὑετός*, p. 980 C: *ζωογονία*, p. 980 D: *ἀπαραμύθητος* (adverbium *ἀπαραμυθήτως* extat Legg. V p. 731 D), p. 981 D: *στερέμ-*

[1]) cf. Janell, quaest. Plat. in Jahrb. f. klass. Philol. Suppl. XXVI (1901) p. 263 sqq.

νιος, p. 982 A: *μακραίων* (hoc vocabulum extat etiam rep. II p. 383 B in Aeschyli versu a Platone adhibito), p. 982 D: *μεταβουλεύεσθαι*, p. 982 D: *μετακυκλεῖσθαι*, p. 984 A: *καθαριότης*, p. 984 D: *πάγιος* (adverbium *παγίως* saepe invenitur), p. 984 E: *ἀέριος*, p. 985 B: *ξυμπλήρης*, p. 985 C: *ὀνειροπολία*, p. 985 D: *ἀνοργίαστος*, p. 987 A: *ἀπόπροσθεν*, p. 987 A: *μυριετής*, p. 987 B: *ἕσπερος* (hunc locum omittit Astius et adfert tantummodo Locr. p. 96 E), p. 987 B: *ὁμόδρομος*, p. 988 B: *συγχαίρειν*, p. 990 B: *πανσέληνος*, p. 990 E: *ἐγκαθορᾶν*, p. 991 D: *παρολιγωρεῖσθαι*. De nonnullis pauca addenda sunt. Verbum *παρασφάλλειν* apud Homerum extat Θ 311. Deinde invenitur apud Critiam *ἐν τοῖς ἐλεγείοις*: (frg. 2 B.) *νοῦς δὲ παρέσφαλται*. (Athen. p. 441, 18 Kaibel). *Πάρεξ* non solum in poesi, sed etiam in prosa Ionica invenitur (veluti cf. Herod. I, 14). De veteribus Atticis Stephano unus hic Epinomidis locus innotuit. Postea autem in prosa quae dicitur hellenistica adhibetur. cf. Polyb. VIII 26 (28) 9: *μηδὲν ἰδιοπραγεῖν πάρεξ τῶν προσταττομένων*. *Μετακυκλεῖσθαι*: apud Stephanum nullus alius locus affertur, ubi hoc verbum extat. Tamen sermonem Atticum sapit; veluti cf. *μετακυλίνδειν*, Aristoph. Ran. 536. Ad *ξυμπλήρης* cf. Theophr. Hist. pl. IV 11, 10: *ὁ δὲ στερεὸς καὶ συμπλήρης μικροῦ*. *Ἀπόπροσθεν*: haec forma, qua multo usitatiores sunt *ἀπόπροθι* et *ἀπόπροθεν*, occurrit Lucian. Astrol. cap. 29: *τὰ μὲν ἐσθλὰ εἰδότας ἀπιξόμενα πολλὸν ἀπόπροσθεν εὐφραίνει*. *Ἐγκαθορᾶν*: cf. Plut. Brutus 16: *ἐγκατιδών*. *Παρολιγωρεῖσθαι*: cf. Henoph. Hell. VII 4, 13: *οἱ μέντοι Ἀρκάδες οὐ παρωλιγώρησαν*.

E quibus verbis *ξυμπλήρης*, *ἐγκαθορᾶν*, *παραλιγωρεῖσθαι* aliqua ex parte rationem illam sapiunt, quae aetate hellenistica percrebruit, quaque praepositiones cum nominibus et verbis coniunctae peculiari sua atque propria significatione destituuntur; quamquam ne uno quidem ex his locis hoc adeo factum esse concedendum est, ut inde Epinomidem post Platonis aetatem esse conscriptam concludi possit. Totam vero reliquam Epinomidis elocutionem cum Platonica convenire demonstravit Ritterus, Unters. über Plato (1888) p. 91 sqq., qui etsi Epinomidem spuriam arbitratur, tamen ita de hac re iudicat: „Jedenfalls hatte der Verfasser dieser Schrift durch gründliche Beschäftigung mit den Leges deren Ausdrucksweise sich fast vollständig zu eigen gemacht“ (l. s. p. 93).

— *τούτων δὴ τί ποτέ μοι τεκμήριον*; Inde ab his verbis auctor probat, cur sibi ipsi vita humana misera esse videatur. Argumento autem ei est studium hominum sapientiae. Nam sicuti omnes speramus esse aliquam felicitatem quae hominibus si non vivis, at certe mortuis contingat, ita omnibus est persuasum esse aliquam sapientiam hominibus expetendam. Perpauci tamen eam

consequi possunt. Quae primum quidem omnes fugit, qui pro vera sapientia cotidinae alicui atque vulgari arti, quae sapientiae nomine indigna est, operam dant. Sed ne hominum quidem vere philosophorum studium sapientiae ab illorum multum distat (p. 974 C: *ἆρ' οὐ τούτῳ σφόδρα προςέοιχ' ἡμῶν ἡ περὶ σοφίαν ἀπορία καὶ ζήτησις*; et q. s.). Nam ipsi quoque semper semperque experiuntur, quam sit homini difficile ad sapientiam ipsam pervenire. Praeclare haec sententia cum Platonis senis cogitatione congruit, qui pertotam vitam omnium fortissime atque impigerrime cum veritate, ut ita dicam, erat luctatus, qui tamen in ipso vitae exitu homines *θαύματα ὄντας τὸ πολύ, σμικρὰ δὲ ἀληθείας ἄττα μετέχοντας* appellavit (Legg. VIII p. 804 B).

p. 974 B: Facio cum Hermanno, qui verba *τἀνθρώπινα* ut glossema eiecit. Sensus enim hic est: variae hominum artes ac facultates quae ad quaslibet res spectant, non dignae sunt sapientiae quae ad eas pertineat nomine. Non id premitur, quod hae res humanae sunt atque cotidianae, non divinae, sed id, quod earum facultas non sapientia est.

— Pro *τῆς δὲ ψυχῆς* quod in Par. A extat, Schneideris vulgatam lectionem *τῆς δὲ αὖ ψυχῆς* recepit. Quod quamquam in sensum quadrat, tamen invita scriptura tralaticia scribendum esse nego. Panto infra (p. 974 C) cum plurimis editoribus vulgatam scripturam: *τίς δ' ἔστι* pro *τίς δή ἐστι* quod habet A retineo. Deinde iure Stallbaumius scripsisse videtur: *ἐπ' ἐλπίδι ἴσως*, collato Lobeckii Aiac.[3] p. 291 sqq. (cf. tamen Kühner-Blass, Gr. Gr. I 1 [3] p. 236).

p. 974 D: Verbis *τὰς ἄλλας τοίνον ὅσαι ἐπιστῆμαι* · · · · *εἰσι* · · · · *πρῶτον διεξιτέον, ὅπως ταύτας ἐκποδὼν θέμενοι πειρώμεθα ἐκείνας ὧν δεόμεθα παραθέσθαι τε καὶ παραθέμενοι μανθάνειν* breviter totius Epinomidis argumentum indicatur. Itaque priusquam ad ipsam de vera sapientia quaestionem auctor accedit, capite secundo ceterae hominum artes facultatesque tractantur, quarum nulla hominem sapientem facere possit. Atque trifariam eas auctor dividit. Primo enim loco ponit eas, quae ad vitae humanae necessitates spectant, secundo eas, quae iucunditatem, tertio loco eas, quae utilitatem atque auxilium hominibus praebent. Denique adiungitur animi sollertia, quae ne ipsa quidem per se hominem vere sapientem reddere possit. Per ambages igitur auctor quaestionem sibi propositam solvere conatur. Primum enim omnia enumerat ea, quae veram sapientiam non efficiunt ita, ut id quid restat, sapientia debeat esse. Quae ratio plane Platonica est, ad quam illustrandam duos tantum locos afferam e Re publica petitos: IV p. 428 B sqq., ubi Plato in definienda urbis *εὐβουλίᾳ* priusquam ad ipsam causam aggreditur, varias artes affert, velut artem

aedificandi, fabricandi, ferrariam, agriculturam, quae omnes urbem *εὔβουλον* facere nequeant. Deinde cf. VII p. 522 B: *αἵ τε γὰρ τέχναι βάναυσοί που ἅπασαι ἔδοξαν εἶναι. Πῶς δ' οὔ; καὶ μὴν τί ἔτ' ἄλλο λείπεται μάθημα, μουσικῆς καὶ γυμναστικῆς καὶ τεχνῶν κεχωρισμένον;*

p. 975 A: *ἡ* (scil. *ἐπιστήμη*) *τῆς ἀλληλοφαγίας τῶν ζώων ἡμᾶς τῶν μέν, ὥς ὁ μῦθός ἐστι, τὸ παράπαν ἀποστήσασα*: auctor de Orpheo cogitare videtur:

„*Ὀρφεὺς μὲν γὰρ τελετάς θ' ἡμῖν κατέδειξε φόνων τ' ἀπέχεσθαι*“ (Aristoph. Ran. v. 1032). De Orpheo cf. etiam Sext. Empir. *πρὸς ῥήτ.* 31 (p. 681, 9 Bekker): *νόμων ἀναιρεθέντων καὶ αἱ πόλεις διόλλυνται. παρὸ καὶ ὁ θεολόγος Ὀρφεὺς τὸ ἀναγκαῖον αὐτῶν ὑποφαίνων φησὶν:*

Ἦν χρόνος, ἡνίκα φῶτες ἀπ' ἀλλήλων βίον εἶχον
σαρκοδακῆ, κρείσσων δὲ τὸν ἥττονα φῶτα δάϊξε.

cf. Horat. d. a. p. v. 391 sq.:

Silvestres homines sacer interpresque deorum
Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus.

Denique cf. Platonis Legg. VI p. 782 B sqq.: *Τί οὖν; πιστεύομεν ἀμπέλους τε φανῆναί πού ποτε πρότερον οὐκ οὔσας; ὡσαύτως δὲ καὶ ἐλάας καὶ τὰ Δήμητρός τε καὶ Κόρης δῶρα; Τριπτόλεμόν τέ τινα τῶν τοιούτων γενέσθαι διάκονον; ἐν ᾧ δὲ μηδὲ ταῦτα ἦν τῷ χρόνῳ, μῶν οὐκ οἰόμεθα τὰ ζῶα, καθάπερ νῦν, ἐπὶ τὴν ἀλλήλων ἐδωδὴν τρέπεσθαι... Τὸ δὲ μὴν θύειν ἀνθρώπους ἀλλήλους ἔτι καὶ νῦν παραμένον ὁρῶμεν πολλοῖς· καὶ τοὐναντίον ἀκούομεν ἐν ἄλλοις, ὅτε οὐδὲ βοὸς ἐτολμῶμεν γεύεσθαι θύματά τε οὐκ ἦν τοῖς θεοῖσι ζῶα, πέλανοι δὲ καὶ μέλιτι καρποὶ δεδευμένοι καὶ τοιαῦτα ἄλλα ἁγνὰ θύματα, σαρκῶν δ' ἀπείχοντο ὡς οὐχ ὅσιον ὂν ἐσθίειν οὐδὲ τοὺς τῶν θεῶν βωμοὺς αἵματι μιαίνειν, ἀλλὰ Ὀρφικοί τινες λεγόμενοι βίοι ἐγίγνοντο ἡμῶν τοῖς τότε.*

— *ἵλεῳ δ' ἡμῖν οἱ πρόσθεν εἴησάν τε καὶ εἰσίν*: his verbis auctor magnos illos priscorum temporum viros, qui vivi olim homines varias artes docuerunt et nunc quoque heroum vitam agunt hominibus tum opitulantes tum nocentes, implorat, ut sibi propitii sint neve irascantur, quod e vere sapientium numero eos excludit. Atque ignoscere eos sibi confidit, quippe qui intellegant eis quae olim hominibus condonaverunt veram sapientiam non contineri.

Verba insequentia recte mihi Stallbaumins ita et restituisse et interpretatus esse videtur: *οἵτινες μὲν γὰρ ὧν ἐλέγομεν πρῶτοι, χαιρέτωσαν*: „nam quicunque inter eos, quos dicebamus (quos animalium esum constituisse iudicabamus) primi sunt vel fuerunt, isti valeant.“

p. 975 B: *τοῦτο γὰρ αὐτό, ἡ τῆς ποιήσεως ἐπίκλησις, τῶν ποιουμένων αὐτῶν δυσχέρειαν ἀπεργάζοιτ' ἄν*: quae verba si sunt genuina, duas cogitationes auctor inter se confudit. Primum enim

dicere voluit: id ipsum, quod *ποιήσεως* nomine hae artes vocantur, argumento est eam quo spectant rem esse molestam. Quacum sententia haec coniungitur: id ipsum, quod hae artes sunt „poeticae“, ipsas res quo pertinent molestas facit, molestiam, non sapientiam praebet. Non omnino negaverim haec verba ferri posse. Tamen verisimile mihi videtur locum esse corruptum. Neque vero cum Stallbaumio faciendum puto, qui in vocabulo *ἀπεργάζοιτ' ἄν* offendit, pro quo *ἀποδείξειεν ἄν* vel simile quid exspectat, sed fortasse ansam praebet Ficinus, qui locum ita vertit: „difficultatem enim et molestiam potius quam sapientiam afferet,“ ita, ut verba *ἡ τῆς ποιήσεως ἐπίκλησις* omnino non legisse videatur. Quae si ut glossema ad verba: *τοῦτο γὰρ αὐτό* adscriptum delemus, locus prorsus perspicuus fit, scil.: id ipsum, quod *ποίησις* sunt hae artes, totam quo spectant operam molestam reddit.

— *οὐδὲ ἡ χώρας* et q. s.: articulum *ἡ* omisit A, quem Schneiderus iniuria sequitur. Nam in omnibus artibus enarrandis articulum auctor adhibet, cf. *ἡ τῆς ἀλληλοφαγίας ἀποστήσασα, ἡ ἀλφίτων τε καὶ ἀλεύρων ποίησις, ἡ τῶν οἰκήσεων ξυνυφή* (ubi *ἡ* vulgata lectione omissum in A recte extat), *ἡ τῶν τεκτονικῶν ... παρασκευή* et q. s. Totus hic locus illustratur Theophrasti fragmento e libro *περὶ εὐσεβείας* petito (cf. Porphyr. de abstinentia II 5 sq.): *μετὰ δὲ ταῦτα* (scil. simplicissimas vitae condiciones) *ὁ βίος ἐπὶ τὴν ἥμερον ἤδη τροφὴν μεταβαίνων καὶ θύματα ⟨τὰ⟩ ἐκ τῶν καρπῶν „ἅλις δρυὸς“ ἔφη. τοῦ δὲ Δημητρίου καρποῦ μετὰ τὸν χέδροπα πρώτου φανέντος κριθῶν, ταύταις ἀπ' ἀρχῆς μὲν οὐλοχυτεῖτο κατὰ τὰς πρώτας θυσίας τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος. ὕστερον δὲ ἐρειξαμένων τε αὐτὰς καὶ τὴν τροφὴν ψαισαμένων, τὰ μὲν τῆς ἐργασίας ὄργανα θείαν τοῖς βίοις ἐπικουρίαν παρασχόντα κρύψαντες εἰς ἀπόρρητον ὡς ἱεροῖς αὐτοῖς ἀπήντων ... ἀφ' ὧν ὁρμωμένοις ἡμῖν καὶ τῶν κριθῶν ἀλλὰ καὶ τῶν πυρῶν ἀφθονωτέρων γιγνομένων προσετίθεντο πελάνων ἤδη καὶ τῶν λοιπῶν ἁπάντων ἀπαρχαὶ τοῖς θεοῖς εἰς τὰς θυσίας.* cf. etiam Legum locum modo exscriptum (VI p. 782 B).

p. 975 E: *μᾶλλον δὲ ἀνδρείᾳ κατὰ φύσιν ἢ σοφίᾳ δεδομένη.* Nonnulli editores offenderunt in vocabulo *δεδομένη*. Astius partim secutus codicem Vossianum qui habet: *ἀνδρεία .. ἢ σοφία δεδεμένη* proponit: *μᾶλλον δὲ ἀνδρεία κατὰ φύσιν ἢ σοφία* int. *οὖσα;* Hermannus autem adnotat: „nec p. 975 E temperare mihi potui, quin *γενομένη* pro *δεδομένη* substituerem, quod in virtutum origine describenda a tota Platonicae disciplinae ratione abhorret.“ Stallbaumius [1])

---

[1]) Idem recte dixit totum hunc locum perquam asperum esse. Quae autem ad sanandum proposuit, quamquam apta sunt, tamen praebeantne genuinam lectionem dubium est.

autem adnotat: „licet magis naturali fortitudini quam sapientiae accepta referatur“, ita ut *δεδομένην* retinere videatur, atque suo iure. Nam ars imperatoria quasi donum est fortitudinis, sicut infra p. 991 B usus rhythmi atque harmoniee donum Musarum appellatur: *σύμφωνος χρεία εὐδαίμονι χορείᾳ Μουσῶν δεδομένη.*

p. 976 A: pro vulgato *οὐδὲ γὰρ ἂν* Par. A rectius habet *οὐ γὰρ ἄν*. Nam *οὐδέ* : ne — quidem hoc loco non requirimus. Redditur enim hac sententia ratio, cur arte gubernatoria homo sapiens non fiat.

p. 976 B: cum Winckelmanno, Hermanno, Baitero scribendum videtur *δόξαις ἢ ἔθεσι προσέχοντες τὸν νοῦν.*

p. 976 C: *λοιπὴ δ' ἔτι* et q. s. *Ἄτοπος* illa *δύναμις* hic descripta, quam *οἱ μὲν φύσιν, οἱ δὲ σοφίαν, οἱ δὲ ἀγχίνοιαν θήσουσι φύσεως,* eadem est, quam etiam in Re publica Platonica habeat necesse est is, qui gubernator fiat rei publicae. cf. imprimis rep. VI p. 486 B sq.: *Οὐ μὴν οὐδὲ τόδε παραλείψεις, ὡς ἐγᾦμαι. Τὸ ποῖον; Εὐμαθὴς ἢ δυσμαθής· ἢ προςδοκᾷς ποτέ τινά τι ἱκανῶς ἂν στέρξαι, ὃ πράττων ἂν ἀλγῶν τε πράττοι καὶ μόγις σμικρὸν ἀνύτων; Οὐκ ἂν γένοιτο. Τί δ'; εἰ μηδὲν ὧν μάθοι σῴζειν δύναιτο, λήθης ὢν πλέως, ἆρ' οὖν οἷός τ' εἴη ἐπιστήμης μὴ κενὸς εἶναι;* et in ipsa Epinomide, ubi de eis agitur, qui vera sapientia tandem inventa instituendi sint, eadem haec indoles necessaria esse ad illam percipiendam dicitur (cf. p. 986 B sq.).

p. 976 C: pro vulgato *οὐδένα τούτων* Par. A habet *οὐδενί,* quod receptum suo iure Hermannus ita defendit „quo etsi reconditior, at multo, ut mihi videtur, aptior sensus efficitur: propter nullam ex his virtutibus re vera sapientem appellare quisquam prudens sustinebit“.

Singulis quae in hoc capite tractanda erant absolutis restat, ut quaeramus, quid in universum de huius capitis argumento videatur esse iudicandum. Quod satis offendit Stallbaumium, qui de eo haec profert (l. s. p. 450): „Itaque sapiens noster p. 974 D sqq. aute omnia artem dividit trifariam · · · Quas quidem omnes postquam satis declamatorie ostendit nihil quidquam continere, quod aliqua ratione ad laudem scientiae nomine suo dignae valeat, miro ausu protenus inde concludit, unam esse doctrinam mathematicam, quae hoc praeconio digna sit.“ Ac primum quidem quo consilio auctor varias artes enumeraverit quamque non alienum hoc sit ab ipsius Platonis consuetudine, supra exposui. Tamen prorsus ut huius capitis rationem perspiciamus, aliud mihi afferendum videtur. Atque proficiscendum nobis est a p. 975 A: *ἔστω δὴ πρῶτον μὲν ἡ τῆς ἀλληλοφαγίας τῶν ζώων ἡμᾶς τῶν μέν, ὡς ὁ μῦθός ἐστι, τὸ παράπαν ἀποστήσασα, τῶν δὲ εἰς τὴν νόμιμον ἐδωδὴν*

καταστήσασα. Aperte enim auctor hic spectat antiquos illos mythos, qui erant de primis vitae humanae condicionibus, quique per totam antiquitatem a poetis, philosophis, rerum scriptoribus rursus iterumque tractabantur. Apud Platonem quoque identidem de hac re agitur (cf. Polit. p. 268 E sqq. Legg. III p. 687 E sqq. IV p. 713 C sqq. VI p. 782 B). In Legibus autem Platonicis novum aliquid nobis occurrit, quod summi momenti est: quae adhuc *μυθολογία* fuerat, *ἱστορία* et „Philosophie der hellenischen Geschichte“[1]) facta est. Namque ut firmum atque amplum fundamentum habeat ad suam de rerum publicarum rationibus doctrinam, idcirco quae principia, quique progressus fuerint generis humani inquirit. Ita[2]) nata est disciplina illa, quae ad cunctas hominum vitae rationes atque consuetudines pervestigandas pertinebat, quam amplexi Aristoteles eiusque discipuli Theophrastus, Eudemus, Dicaearchus, Aristoxenus fructus amplissimos consecuti sunt. Ea autem disciplina, quae in hominum ad vitam politiorem progressu enarrando versabatur, optime illustratur Theophrasti fragmento in Philonis Iudaei scriptis tradito, ubi qui mundum aeternum esse negant, argumentum e recenti artium inventarum aetate petunt[3]): *ἴδωμεν οὖν τοὺς ἑκάστων* (scil. *τεχνῶν*) *χρόνους, ἀλογήσαντες τῶν ἐπιτραγῳδουμένων θεοῖς μύθων.* „Leider hat der unbekannte Verfasser der unter Philons Werken stehenden Schrift über die Unvergänglichkeit der Welt, welchem wir das Bruchstück verdanken, die in den letzten Worten angekündigte, sicher sehr lange Liste von Erfindungen unterdrückt und uns damit wohl das älteste Dokument dieses Zweiges kulturgeschichtlicher Forschung entzogen, welchem die selbst an Erfindungen so fruchtbare Diadochenzeit mit besonderer Vorliebe gepflegt und auch Theophrastos in einem zweibändigen Werk (*Περὶ εὑρημάτων,* Diog. Laert. 5, 47) behandelt hat.“[4]) Fortasse hoc fragmentum deperditum non e Theoprasti *Φυσικαῖς δόξαις,* ut Bernaysius suspicatus est (l. s. p. 46), sed ex ipso *περὶ εὑρημάτων* opere petitum erat.[5]) Qui Theophrasti locus ansam nobis praebet ad Epinomidis caput secundum interpretandum. Nam hic quoque habemus adumbratam quandam artium inventarum enumerationem talem, qualis ibi extabat. Auctor enim ante oculos sibi ponit varias artes, quibus gens humana inde a priscorum illorum temporum moribus, ubi homines ne hominibus quidem parcebant, usque ad suae aetatis

[1]) Ed. Schwartz, Charakterköpfe aus der ant. Literat. p. 66.
[2]) cf. de Wilamowitz, Die griech. Literat. des Altert. p. 114.
[3]) Philo, de incerrupt. mundi cap. 24 fin.
[4]) Bernays, Theophr. Schrift über Frömmigkeit (1866) p. 47.
[5]) cf. Dümmler, Kl. Schrift. II p. 46, 1.

statum pervenerint. Sed quamvis magna iis consecuti sint, ỵeram sapientiam non acceperunt, omnesque illi *εὑρεταί*, qui artes oblivione obrutas hominibus reppererunt, vere sapientium nomine indigni sunt: *χαιρέτωσαν*. Habemus igitur in hoc Epinomidis capite vetustissimum illius *περὶ εὑρημάτων* scripturae exemplum, optime sane cum Platonis senis studiis conveniens, cui ipsi fortasse cnm Leges suas, imprimis cum tertium earum librum conscriberet, eiusmodi artium inventarum indices aute oculos versabantur. Iam in Epinomide autem variae inventiones in certum quendam ordinem redactae sunt: dico triplicem illam artium divisionem. Atque si non eodem, attamen simili modo Aristoteles quoque artes hπmanas divisit. cf. Protreptici frg. 53 (Rose), quod ipsum quoque peraptum est ad hoc Epinomidis caput interpretandum: *νεώτατον οὖν ὁμολογουμένως ἐστὶ τῶν ἐπιτηδευμάτων ἡ περὶ τὴν ἀλήθειαν ἀκριβολογία· μετὰ γὰρ τὴν φθορὰν καὶ τὸν κατακλυσμὸν τὰ περὶ τὴν τροφὴν καὶ τὸ ζῆν πρῶτον ἠναγκάζοντο φιλοσοφεῖν, εὐπορώτεροι δὲ γενόμενοι τὰς πρὸς ἡδονὴν ἐξειργάσαντο τέχνας, οἷον μουσικὴν καὶ τὰς τοιαύτας, πλεονάσαντες δὲ τῶν ἀναγκαίων οὕτως ἐπεχείρησαν φιλοσοφεῖν.*

Venio nunc ad caput tertium, cuius argumentum est hoc: Cum omnes illae artes vulgares, de quibus adhuc disputatum est, sapientiae nomine sint indignae, una numeri scientia usus homo sapiens fieri potest. Atque ipsius summi dei sive caeli donum putandum est id, quod ubique et in hominum factis atque cogitationibus et in iqsa rerum natura plurimum valeat, quod omnis ordinis atque perfectionis, omnis rhythmi atque harmoniae, denique quod omnis boni auctor sit: quae omnia numero debentur.

p. 976 D: *ὁ δὲ λαβὼν οὔτε βάναυσος σὔτ' ἠλίθιος ἔσται, σοφὸς δὲ καὶ ἀγαθός δι' αὐτὴν πολίτης τε καὶ ἄρχων καὶ ἀρχόμενος ἐνδίκως ἔσται πόλεως ἁμα καὶ ἐμμελής*: Contra Stallbaumium textum traditum totum retineo. Nam quamquam illud *τε* post *πολίτης* et alterum *ἔσται*, quae Stallbaumius delet, necessaria non sunt, tamen ferri possunt. Sensus enim est hic; quam scientiam qui consecutus erit, neque illiberalis neque stolidus erit, sed propter ipsam hanc scientiam sapiens ac bonus erit et civis civitatis iuste imperans simul et oboediens atque modestus. Quod gravissimum est in his verbis et utique ei tenendum, qui totius Epinomidis rationem perspicere vult: ab ipso initio clarissimis verbis sapientia quaesita ea esse dicitur, quam qui habeat bonus civis sit. De arte igitur politica definienda atque describenda in Epinomide agitur. Itaque nullam aliam doctrinam sapientiamque hic exspectare debemus, nisi quae civitatis eius quam Plato in Legibus finxit ratione videatur requiri.

In eis quae sequuntur, facio cum Hermanno, qui *μί' ἂν*

ἐξελθοῦσα pro *μία διεξελθοῦσα* et *παράσχοιτο ζῶον* pro vulgari *παράσχοι τὸ ζῶον* scribit. Recte deinde Stallbaumius *τὸ κατιδεῖν* interpretatur sic: quod attinet ad rei perspiciendae facultatem.

p. 976 E: pro Par. A *τὸ ἀγαθῶν αἴτιον* aptius est: *τὸν ἀγαθῶν αἴτιον*, quod nonnulli codices habent plurimique post Bekkerum editores receperunt. Admodum eleganter auctor ut inveniat sapientiam definiendam primum quaerit id quo homo rationis particeps et quodammodo [1]) homo demum fiat. Haec ei videtur esse numeri scientia a deo aliquo misericordi dono hominibus data. Qui autem summum hoc atque praestantissimum hominibus praebuit, is nimirum iudicandus est optimus omnium atque maximus deus: *εἴτε κόσμον εἴτε ὄλυμπον εἴτε οὐρανὸν ἐν ἡδονῇ τῳ λέγειν*. Hominum autem est continua praeclarissimi illius spectaculi contemplatione quasi dignos se praestare dei benignitate, dum et numerorum universitatem et ingentem totius mundi unitatem perceperint: *τοῦτο δὲ μέγιοτον ἐάν τις τὴν ἀριθμῶν αὐτοῦ δόσιν δεξάμενος ἐπεξέλθῃ πᾶσαν τὴν περίοδον* (cf. etiam cap. XIII). Quo iure caelum dicatur hominibus scientiam numeri praebere, nondum hoc sed quarto capite exponitur (cf. p. 978 B: *ἴωμεν δὴ σκεψόμενοι πρὸς τοῦτ' αὐτό, πῶς ἐμάθομεν ἀριθμεῖν* et q. s.). Nunc autem agitur de numeri vi ac potestate, quam et in hominum vita et in universa rerum natura exerceat. Itaque primum quidem auctor breviter repetit, quod antea posuerat: numero homiuibus rationem obtingi. Argumentatur autem ita fere: Sine numeri scientia sapiens (*φρόνιμος*) nemo esse potest. Nam quod idem est, sine ratione (*ὅτου λόγος ἀπείη*) nemo ad sapientiam pervenire neque, quod rursus idem valet, cum sapientia summa virtus sit aliasque omnes comprehendat, universam virtutem consequi potest (*οὐ γὰρ ἂν ἔτι ποτὲ ψυχὴ τούτου τοῦ ζώου πᾶσαν ἀρετὴν λάβοι σχεδόν*). Rationis autem expers is est iudicandus, qui numeros prorsus ignorat, quippe qui nullius omnino rei quam aut sensibus percipit aut memoria tenet, naturam perspicere atque intellegere possit. Talis autem homo, etiamsi fortis et temperans est, tamen cum sapientiae semper expers sit, ne veram quidem felicitatem, quippe quae in sapientia posita sit, unquam adipiscetur.

p. 977 C: Ad verba *τὴν δ' ἄλλην· ἀρετήν, ἀνδρείαν καὶ σωφροσύνην, οὐδὲν ἀποκωλύει* recte Stallbaumius attulit Legg. XII p. 963 C: *ἄνευ γὰρ λόγου καὶ φύσει γίγνεται ἀνδρεία ψυχή· ἄνευ δ' αὖ λόγου ψυχὴ φρόνιμός τε καὶ νοῦν ἔχουσα οὔτ' ἐγένετο πώποτε οὔτ' ἔστιν.* cf. de hac re etiam Legg. I p. 630 B sqq. II p. 661 D, Epin. p. 974 E. cf. Raederi Platons philosophische Entwickelung p. 399.

[1]) cf. sep. VII p, 522 E: *μᾶλλον δ' εἰ καὶ ἄνθρωπος ἔσεσθαι.*

Huc usque scientia numeri ab auctore utique tamquam ipsa ratio adhibita est. Quod quo iure fecerit, verbis insequentibus probare conatur: p. 977 D sqq.: *οὕτως ἀριθμὸν μὲν ἀνάγκη πᾶσα ὑποτίθεσθαι· διότι δὲ τοῦτο ἀνάγκη, λόγος ἔτι πλείων πάντων γίγνοιτ' ἂν τῶν εἰρημένων. ἀλλὰ καὶ ὁ νῦν ὀρθῶς ῥηθήσεται* et q. s. Pauca igitur sese allaturum esse promittit, ut probet tantam esse numeri vim potestatemque in universa rerum natura, ut una in eius cognitione vera hominis ratio atque sapientia posita sit. Primum autem argumentum est, quod omnes artes humanae sublata numeri vi funditus exstinguantur. Haec sententia tota Platonica est; veluti cf. rep. VII p. 522 B sqq.: *Φέρε, ἦν δ' ἐγώ, εἰ μηδὲν ἔτι ἐκτὸς τούτων ἔχομεν λαβεῖν, τῶν ἐπὶ πάντα τεινόντων τι λάβωμεν. Τὸ ποῖον; Οἷον τοῦτο τὸ κοινὸν, ᾧ πᾶσαι προσχρῶνται τέχναι τε καὶ διάνοιαι καὶ ἐπιστῆμαι, ὃ καὶ παντὶ ἐν πρώτοις ἀνάγκη μανθάνειν. Ποῖον; ἔφη. Τὸ φαῦλον τοῦτο, ἦν δ' ἐγώ, τὸ ἕν τε καὶ τὰ δύο καὶ τὰ τρία διαγιγνώσκειν· λέγω δὲ αὐτὸ ἐν κεφαλαίῳ ἀριθμόν τε καὶ λογισμόν.* cf. etiam Phileb. p. 55 E: *οἷον πασῶν που τεχνῶν ἄν τις ἀριθμητικὴν χωρίζῃ καὶ μετρητικὴν καὶ στατικήν, ὡς ἄπος εἰπεῖν, φαῦλον τὸ καταλειπόμενον ἑκάστης ἂν γίγνοιτο.* cf. Legg. V. p. 747 A sq.: *πρός τε γὰρ οἰκονομίαν καὶ πρὸς πολιτείαν καὶ πρὸς τὰς τέχνας πάσας ἓν οὐδὲν οὕτω δύναμιν ἔχει παίδειον μάθημα μεγάλην, ὡς ἡ περὶ τοὺς ἀριθμοὺς διατριβή.*

p. 977 D: pro *πάσας τὰς τέχνας* recte Astius proposuit *πάσας αὐτὰς τέχνας*, quod sensus requirit.

p. 977 E: *οὐδὲ τούτων ἓν* et q. s. Recte mihi plurimi ante Stallbaumium editores invitis codicibus *μενεῖ* pro *μένει* et *ἀπολεῖται* pro *ἀπολείπεται* videntur scripsisse. Nam *μένει* et *ἀπολείπεται* non apte inter se opponuntur. Deinde autem cum Stallbaumio scribo *δόξειε δ' ἂν ἴσως τις* et *ἀποβλέψας*. Iam sequitur locus difficillimus: *εἰ δέ τις ἴδοι τὸ θεῖον τῆς γενέσεως καὶ τὸ θνητόν, ἐν ᾧ καὶ τὸ θεοσεβὲς γνωρισθήσεται καὶ ἀριθμὸς ὄντως, οὐκ ἂν ἔτι πᾶς μάντις γνοίη ξύμπαντα ἀριθμόν, ὅσης ἡμῖν δυνάμεως αἴτιος ἂν εἴη ξυγγιγνόμενος* et q. s. Astius prorsus tacet. Stallbaumius autem adnotat 'Bullialdus ad Theon. Sm. 21 p. 205. „In ortu hominum Plato numeri vim elucere affirmat. Considerant quippe Pythagorici quosdam numeros dierum et mensium in hominum productione".' Et deinde: „*καὶ ὁ*[1]) *ἀριθμὸς ὄντως*. H. e. *καὶ ὁ ὄντως ἀριθμός*, de quo Legg. X et XII." Primum quid sibi velint verba „de quo Legg. X et XII" mihi prorsus obscurum est. Ac ne Bullialdi quidem interpretatione multum lucramur, quamquam fortasse concedendum est de

[1]) Stallbaumius secutus Theonem Smyrnaeum (p. 8, 9 H) scribit: *ὁ ἀριθμός* pro tradito *ἀριθμός*. Fortasse recte.

eiusmodi quoque rebus auctorem hic cogitasse. Ut autem intellegamus, quinam sensus huic loco insit, totus verborum conexus considerandus est. Ostentaturus est auctor, quanta vis numeri sit et pauca tantum de re propemodum infinita se prolaturum esse profitetur. Ac primum quidem demonstrat, quid valeant numeri ad tuendas hominum artes cotidianas. Nunc tamen ad altius quid atque sublimius transit: *τὸ θεῖον τῆς γενέσεως καὶ τὸ θνητόν, ἐν ᾧ καὶ τὸ θεοσεβὲς γνωρισθήσεται καὶ ἀριθμὸς ὄντως.* Ac primum quidem apparet *τὸ θεῖον τῆς γενέσεως* idem esse ac *τὴν θείαν γένεσιν* (cf. p. 991 B), i. e. *τὴν θεῶν γένεσιν*, deinde *τὸ θνητὸν τῆς γενέσεως* idem ac *τὴν θνητῶν γένεσιν*, ita ut in his verbis idem inesse intellegamus quod infra (p. 980 C) verbis *θεογονία* et *ζωογονία* significatur. Quibus in rebus quanta vis numeri sit, auctor hic breviter monet, cum infra copiose hanc causam explicaturus sit. Quae si tenemus, ea quoque quae insequuntur clarescunt: *ἐν ᾧ καὶ τὸ θεοσεβὲς γνωρισθήσεται καὶ ἀριθμὸς ὄντως.* Nam quicunque totam hanc numeri vim animo suo perceperit, qualis elucet in dis immortalibus omnibusque animantibus creandis, is simul et veram dei cognitionem pietatemque consequetur et numerum purum atque integrum, non eum qui in artibus humanis viget, sed ab omni corpore absolutum, is speciem numeri cognoscet: *τοὺς ἀριθμοὺς αὐτοὺς ἀλλ' οὐ σώματα ἔχοντας.* (p. 990 C). Ad eam autem sapientiam pietatemque et assequendam et docendam vatis cuiuslibet doctrina non sufficit: *τὸ λεγόμενον γὰρ οἶδε μόνον, εἰ δ' ἀληθές, οὐκ ἔμαθεν* (p. 975 C). Pro *πᾶς μάντις* Ven. *Ξ* et marg. *Z* et quattuor Florentini habent *πᾶς ἄν τις*. Sane primo obtutu vocabulum *μάντις* nos offendit, ita, ut usi horum codicum scriptura cogitare possimus de *οὐκέτι πᾶς ἄν τις γνοίη*. Tamen *μάντις* locum suum habet. Opponuntur enim inter se duo pietatis genera, scil. illud purum atque verum, quod numerorum scientia nititur, hoc, quod in opinionibus tantummodo positum est. Aptissime denique haec adiunguntur: *ἐπεὶ καὶ τὰ κατὰ μουσικὴν πᾶσαν διαριθμουμένων κινήσεώς τε καὶ φθόγγων δῆλον ὅτι δεῖ*: nam etiam in rhythmo et harmonia, si quidem recte homines eis utuntur, vis numeri genuina et aeternae naturae leges cegnoscuntur. Omnium tamen summum atque id, quod plurimum valet ad hominum quoque vitam instituendam in eo positum est, quod nihil omnino boni sit sine numero, quodcunque malum est, numero caret. Quilibet enim ordo numero eget. In ordine autem et in fine atque perfectione bonum consistit. Optime extrema haec capitis pars illustratur loco Platonico adhibito, velut rep. III p. 401 A: *ἐν πᾶσι γὰρ τούτοις ἔνεστιν εὐσχημοσύνη ἢ ἀσχημοσύνη. καὶ ἡ μὲν ἀσχημοσύνη καὶ ἀρρυθμία καὶ ἀναρμοστία κακολογίας καὶ κακοηθείας*

ἀδελφά, τὰ δ' ἐναντία τοῦ ἐναντίου, σώφρονός τε καὶ ἀγαθοῦ ἤθους, ἀδελφά τε καὶ μιμήματα.

Pauca de singulis addenda sunt. p. 978 A in vocabulis *ὅτι δὲ κακῶν οὐδενός* et q. s. nonnulli editores offenderunt. Iniuria, arbitror. Sensus enim hic est: mox intellegemus (*ὃ καὶ τάχα γένοιτ' ἄν* — scil. in eis, quae infra exponentur, nam nunc haec omnia breviter ponuntur) malum numero tribuendum esse nullum. Contra (*ἀλλά*) quidquid ordine caret ideoque malum est, caret etiam numero.

p. 978 B: *δεῖ τοῦθ' οὕτω διανοεῖσθαι τὸν μέλλοντα εὐδαίμονα τελευτήσειν*: haec verba summi momenti sunt. Agitur enim in numeri vi percipienda non solum de scientia quadam atque doctrina, sed de universa vitae humanae ratione deque felicitate, quae vivo mortuoque contingit. Hoc nobis tenendum est, si ea quae insequuntur intellegere volumus. Nam haec quoque verba (*καὶ τό γε δὴ δίκαιον* et q. s.) viros doctos offenderunt et rursus, si quid video, iniuria. Auctor enim hoc dicit: qui quid sit bonum et iustum et pulchrum perspicere non potest recta de eis opinione potitus — quae scientia nimirum in numerorum vi cognoscenda posita est — is nunquam notionem iusti aliorumque eiusdem generis ita dinumerare poterit, ut et sibi et alteri hoc esse verum persuadeat, i. e. qui non ratione ac via et quod idem est numeri vi ac natura cognita ad iusti et boni et pulchri naturam cognoscendam accedit, ei nunquam continget, ut aut sibi aut alteri veram illorum scientiam consecutus esse videatur, ita ut et se ipse et alios ad vitam homine vere dignam i. e. ad pietatem beatitatemque perducere possit. Hanc enim facultatem auctor Epinomidis invenire studet (cf. cap. XI). Verbum *διαριθμεῖσθαι* ex arte dialectica petitum spectat ad genera et species rimandas inque ordinem redigendas, ut notio aliqua clara atque perspicua fiat. Quod is tantummodo assequi potest, qui illius notionis naturam perspectam habet. Et cum bonum, pulchrum, iustum ceteraque eiusmodi omnia numero atque ordine nitantur, idcirco qui eorum rationem redditurus speciesque dinumeraturus est, numeri vim novisse debet. De verbo *διαριθμεῖσθαι* cf. Phaedr. p. 273 D: *ἐὰν μή τις τῶν τε ἀκουσομένων τὰς φύσεις διαριθμήσηται καὶ κατ' εἴδη τε διαιρεῖσθαι τὰ ὄντα καὶ μιᾷ ἰδέᾳ δυνατὸς ᾖ καθ' ἓν ἕκαστον περιλαμβάνειν* et q. s. Ad hunc autem Epinomidis locum interpretandum optime affertur Phileb. p. 17 C sq.:

Σω. Δύο δὲ θῶμεν βαρὺ καὶ ὀξύ, καὶ τρίτον ὁμότονον. ἢ πῶς;

Πρω. Οὕτως.

Σω. Ἀλλ' οὔπω σοφὸς ἂν εἴης τὴν μουσικὴν εἰδὼς ταῦτα μόνα, μὴ δὲ εἰδὼς ὥς γ' ἔπος εἰπεῖν εἰς ταῦτα οὐδενὸς ἄξιος ἔσει.

Πρω. Οὐ γὰρ οὖν.

Σω. Ἀλλ', ὦ φίλε, ἐπειδὰν λάβῃς τὰ διαστήματα ὁπόσα ἐστὶ τὸν ἀριθμὸν τῆς φωνῆς ὀξύτητός τε πέρι καὶ βαρύτητος, καὶ ὁποῖα, καὶ τοὺς ὅρους τῶν διαστημάτων, καὶ τὰ ἐκ τούτων ὅσα συστήματα γέγονεν, ἃ κατιδόντες οἱ πρόσθεν παρέδοσαν ἡμῖν τοῖς ἑπομένοις ἐκείνοις καλεῖν αὐτὰ ἁρμονίας, ἔν τε ταῖς κινήσεσιν αὖ τοῦ σώματος ἕτερα τοιαῦτα ἐνόντα πάθη γιγνόμενα, ἃ δὴ δι' ἀριθμῶν μετρηθέντα δεῖν αὖ φασὶ ῥυθμοὺς καὶ μέτρα ἐπονομάζειν, καὶ ἅμα ἐννοεῖν, ὡς οὕτω δεῖ περὶ παντὸς ἑνὸς καὶ πολλῶν σκοπεῖν et q. s.

Tertium hoc caput ad Epinomidem intellegendam omnium plurimum valet, quippe quod universam auctoris rationem cogitationemque patefaciat, quam ipse pulcherrime ita significavit: *θεὸν τὸν ἀριθμὸν μᾶλλον ἤ τινα τύχην ἡγοῦμαι δόντα ἡμῖν σῴζειν ἡμᾶς* (p. 976 E). Generi humano caduco et undique errore circumdato atque oppresso numeri scientiam quasi unum et ultimum refugium ipse deus condonavit, ne omnino expers veritatis esset.

Capite quarto, de quo iam agendum est, exponitur, qua ratione homines ad numeri scientiam perveniant. Atque, quod iam in capite tertio (p. 977 A) positum erat scientiam numeri in hominum animo caelestibus motibus suspiciendis oriri, id nunc probatur atque describitur. Primum autem homines simplices numeros velut unum et duo mente percipiunt, deinde variis eos inter se rationibus coniungere discunt. Ad initium capitis Stallbaumius, quem etiam in textu constituendo sequor, recte ita adnotavit: „Duo munera dicit hominibus dei benignitate obtigisse, primum, quod intellegere ostensum possint, deinde quod illud, quod intellegant, sibi revera ostensum extrinsecus videant. Significat igitur duplicem rei facultatem, alteram internam, in ipsa mente et animo sitam, alteram externam ab ipsa rerum natura suppeditatam.“ De re hic descripta cf. Tim. p. 39 B: *ἵνα δ' εἴη μέτρον ἐναργές τι πρὸς ἄλληλα βραδυτῆτι καὶ τάχει ὡς τὰ περὶ τὰς ὀκτὼ φορὰς πορεύοιτο, φῶς ὁ θεὸς ἀνῆψεν ἐν τῇ πρὸς γῆν δευτέρᾳ τῶν περιόδων, ὃ δὴ νῦν κεκλήκαμεν ἥλιον, ἵνα ὅτι μάλιστα εἰς ἅπαντα φαίνοι τὸν οὐρανὸν μετάσχοι τε ἀριθμοῦ τὰ ζῶα, ὅσοις ἦν προσῆκον.* cf. etiam Tim. p. 47 A sq.

p. 978 C: Astii coniecturam secutus scribo *ἓν ἀνθ' ἑνός. ἀνθ'* vocabulo *ἄν*, quod subsequitur, facile opprimi poterat. Etiam in verbis *καὶ ἑλίττων δή* et q. s. invito Stallbaumio vocabula *μὴ παύηται* et *ἅς* post *ἡμέρας* Astium secutus spuria esse censeo. Nam primum quidem quam Stallbaumius proponit interpretatio admodum artificiosa est. Nego enim quemquam, qui animo non praeoccupato verba Graeca perlegit, animadversurum esse priore loco *ἑλίττων* ad animum translatum esse, posteriore tamen, ubi ne

extat quidem, sed supplendum est, genuinam habere significationem. Deinde eiusmodi imperativus *μὴ παύηται* minime congruit cum huius loci ratione, ubi cetera omnia ad enumerationem descriptionemque pertinent. Denique, quod homines iubentur per multos dies multasque noctes nunquam desinere caelum intuentes eius motus computare, non satis aptum videtur, cum verba *ἑλίττων δή* et q. s. aptissime ad caelum referantur. Probabilis tamen est Stallbaumii coniectura: *ταῦτα τὰ αὐτὰ ὄντα,* quo etiam clarius esset: *ταῦτα τὰ αὐτὰ ἀεὶ ὄντα.*

p. 978 D: Difficultatem praebent verba: *ἐκ τούτων ἓν ἐποίησε τὴν σελήνην.* Stallbaumius adnotat: „ex his mundanis corporibus;“ ipse tamen concedit hoc esse satis obscurum. Recte mea quidem sententia Hermannus scripsit: *ἐνεποίησε,* quo verbo ipse auctor, ubi huc respicit (p. 979 A) utitur. Restat tamen illud *ἐκ τούτων.* Sensus utique postulat: ad hunc finem scil. ut homines numerare discant, quod in *ἐκ τούτων* inesse non potest. Nam *ἐκ* sane causam (veluti Polit. p. 274 C *ἐκ τούτων πάντων ἐν μεγάλαις ἀπορίαις ἦσαν*), non tamen finem significare potest. Itaque pro *ἐκ τούτων* propono *ἕνεκα τούτων,* quod crebro apud Platonem vocabulo suo praemissum invenitur. cf. Tim. p. 47 D: *ἕνεκα ἁρμονίας.* p. 75 D: *ἕνεκα τῶν ἀναγκαίων.*

Nova difficultas inest in verbis quae insequuntur: *τὴν σελήνην . . . ἣ τοτὲ μὲν μείζων φαινομένη, τοτὲ δ'ἐλάττων διεξῆλθεν ἄλλην ἀεὶ φαίνουσα ἡμέραν.* Astius in lexico Platonico s. v. *φαίνω* dicit *φαίνω* hic vim habere „in lucem edendi“. Sed quid hoc sibi velit: luna, quae tum maior tum minor apparet, alium semper diem in lucem edit usque ad quindecim dies et noctes, equidem non intellego. Neque enim luna, sed sol dies procreat. Brevis ut sim, *ἡμέραν* falso huc ex eis quae insequuntur irrepsisse idque vocabulum oppressisse arbitror, quo varia lunae facies significabatur. Itaque pro *ἡμέραν* conicio *ἰδέαν,* quo accepto sensus evadit hic: Deus lunam caelo infixit, quae tum maior tum minor apparens cursum suum conficit, aliam semper praebens faciem[1]) usque ad quindecim dies et noctes. Quod exspectamus. Luna enim quomodo homines numerare doceat exponitur. Ac primum quidem in universum, quali ratione cursum suum conficiat, describitur, usque ad verbum *διεξῆλθεν*; deinde accuratius explicatur per quindecim dies noctesque aliam semper faciem eam praebere, ita, ut inde homines notiones quindecim et triginta percipiant. Ut autem

[1]) Vocabulum *ἰδέα* apud Platonem saepe hunc sensum habet; cf. rep. II p. 380 D: *ἆρα γόητα τὸν θεὸν οἴει εἶναι καὶ οἷον ἐξ ἐπιβουλῆς φαντάζεσθαι ἄλλοτε ἐν ἄλλαις ἰδέαις.*

probem non alienam fuisse a Graeco astronomo eiusmodi de luna computationem, locum e scholiis Arateis afferam, veluti cf. p. 473, 19 (M.): *ἀπὸ δὲ γέννης τρίτην ἡμέραν ἄγουσα ἡ σελήνη μηνοειδὴς κατὰ τὸ σχῆμα τοῦ φωτὸς καλεῖται, ἡνίκα λεπτὸν φῶς τοῖς κέρασιν ἐπιτρέχει . ὀγδαία δὲ οὖσα διχότομος ὀνομάζεται, ὅταν τοῦ ὅλου κύκλου τὸ ἥμισυ φωτισθῇ, ἐναταία δὲ ἀμφίκυρτος, ὅταν τῷ διχοτόμῳ κυρτώσεις προσγένωνται τοῦ φωτός, ὥστε κατ' ὀλίγον τὸ ἥμισυ τοῦ κύκλου φωτισθῆναι . πεντεκαιδεκαταία δὲ οὖσα πανσέληνος καὶ διχόμηνος, πληρωθεῖσα [τοῖς φωσί] · πᾶσα γὰρ ἐν διαμέτρῳ οὖσα τοῦ ἡλίου διχασθέντα ἐν ιε' ἡμέραις δηλοῖ τὸν μῆνα, ἐντεῦθεν λοιπὸν κατὰ τὸ ἀνάπαλιν β' ἀμφίκυρτος, β' διχότομος, β' μηνοειδής, ἔπειτα ἁρπαγιμαία (ἀφανὴς γὰρ λοιπὸν φαίνεται ὑπὸ τὰς τοῦ ἡλίου αὐγὰς γενομένη) ἔπειτα συνοδική, ἡνίκα ἐν τῷ αὐτῷ ζῳδίῳ τὰς αὐτὰς μοίρας ἔχει.*

p. 978 A: Ad *καὶ πάντα* et q. s. Stallbaumius haec adnotat: „et omnia animalia intellegendi et numerandi facultate praediti.“ Ferri sane hoc potest, quamquam sic *πάντα* satis dubie adhibitum est. Itaque certe Astius recti aliquid vidit, qui *πᾶς* pro *πάντα* coniecit. Praeterea autem hic quoque sicut paulo supra *πάντα* ad *ἀριθμόν* referri admodum placet. Itaque scribendum mihi videtur: *καὶ πᾶς πάντα ἀριθμὸν πρὸς ἀριθμὸν ἤρξατο συνορᾶν εὐδαίμονι τύχῃ.* De verbo *συνορᾶν* cf. Phaedr. p. 265 D: *εἰς μίαν τε ἰδέαν συνορῶντα ἄγειν τὰ πολλαχῇ διεσπαρμένα, ἵν' ἕκαστον ὁριζόμενος δῆλον ποιῇ, περὶ οὗ ἂν ἀεὶ διδάσκειν ἐθέλῃ.* Ut in Phaedri loco ratione ut ita dicam synoptica homo e singulis formis conspectis ipsam ideam cognoscere, ita hic e singulis numeris ab ipsa natura ei oblatis numerorum universitatem simul atque unitatem comprehendere dicitur. Verba quae insequuntur sensum praebent hunc: Aequis semper caelestium corporum motibus accidit, ut in terra quoque, quaecunque natura fiunt, ordinata, firmata, constantia sint. Ita ex eis quoque homines numerum ordinemque discere et possunt et debent. Quod nisi faciunt, ipsi detrimentum capiunt. Haec verba illustrari possunt Legum loco, VI p. 761 A sq.: *ἐπιμελουμένους . . . καὶ τῶν ἐκ Διὸς ὑδάτων, ἵνα τὴν χώραν μὴ κακουργῇ, μᾶλλον δ'ὠφελῇ ῥέοντα ἐκ τῶν ὑψηλῶν εἰς τὰς ἐν ὄρεσι νάπας ὅσαι κοῖλαι, τὰς ἐκροὰς αὐτῶν εἴργοντας οἰκοδομήμασί τε καὶ ταφρεύμασι* et q. s.

Iam propria huius capitis quaestio, quae pertinet ad numeri in animo hominis originem, absoluta est. In eis autem, quae insequuntur, ratione admodum copiosa ac verbosa omnia quae antecesserunt repetuntur. Atque si quaerimus, quidnam consilii auctor hac in re secutus sit: prima totius opusculi pars sive prooemium absolutum est. Scimus enim sapientiam quaesitam niti numeri cognitione. Quae tamen sit illa sapientia quoque nomine sit appellanda, nondum expositum est. Nunc vero ubi auctor trans-

iturus est ad eam ex ipsa rerum natura definiendam atque diligenter describendam non solum huius propositi magnitudinis, sed etiam auditorum suorum rationis animique condicionis in mentem ei venit. Atque hac de causa paulum requiescit, quasi recreationem quandam et sibi ipsi et auditoribus suis daturus tempusque terens simpliciter cum eis confabulando. Quo artificio ipse Plato saepe utitur.[1]) Hoc si tenebimus, totum hunc locum quocum proximi quoque capitis initium coniungendum est, aptissimum esse iudicabimus.

Transeo nunc ad caput quintum, cuius argumentum hoc est. Quoniam expositum est veram omnem sapientiam numeri scientia egere, quaeritur, quaenam sit quoque nomine sit appellanda ea disciplina, quae, nixa numeri scientia, summae sapientiae laude digna sit existimanda. A deorum autem omniumque animantium ortu auctor initium quaerendi facit, usus eis, quae de eadem re in Legibus (X et XII p. 966 D sqq.) exposita erant, quorum summa erat animam esse corpore antiquiorem. Nam quodcunque agit et regit, ante id esse debet, quod agitur et regitur. Inde sequitur id, quod ipsam animam regit, omnium primum atque praestantissimum esse, ideoque quaestionem de deorum ortu instituendam, quippe qui omnium summi sint, re vera de summis rebus fore consentaneum esse. Ac primum quidem quid sit *ζῶον* statuitur, scil. animae cum corpore coniunctio. Et cum quinque corpora solida sive elementa sint: ignis, aether, aer, aqua, terra, varia etiam animantium genera sunt, quorum singula singulorum praecipue elementorum cum anima coniunctione oriuntur. Primum autem animantium genus est id, quod terra cum anima in unum coniuncta nascitur: haec sunt animantia, quae in terra vigent. Secundum genus est id, quod corpus igneum habet: haec sunt corpora caelestia.

Huius capitis initium cum proximo artissime cohaerere commemoravi. Nam etiamnunc auctor non in quaerendo, sed in fabulando versatur.

p. 980 A retineo codicis A lectionem *ἀνάγκῃ*, et deinde *εἰρημένων*. — *τὸ δὴ μετὰ τοῦτο* et q. s. Haec verba admodum memorabilia mihi videntur: hospes Atheniensis senex est vel senem se esse fingit, qui hoc dialogo confecto, cuius proprium finem esse meliorem atque integriorem dei cognitionem iam hic breviter pronuntiatur, sperat atque confidit se in dis immortalibus pio animo colendis occupatum vitam sibi relictam acturum esse. Cui Cretensis

[1]) Ex ipsis Legibus hos locos afferam: I p. 634 C—635 A, p. 641 C—643 A; VI p. 752 A sq.; VII p. 806 C sq., p. 806 C sq., p. 818 E sq.; IX p. 874 D; X p. 886 E sq., p. 890 B—891 B, p. 892 D sq., p. 907 C.

ex animi sententia adstipulatur optatque, ut tali extrema aetatis parte confecta eadem mortuo vita sempiterna obtingat. Cum his verbis conferendus est locus Legum VII p. 803 C: *φημὶ χρῆναι τὸ μὲν σπουδαῖον σπουδάζειν, τὸ δὲ μὴ σπουδαῖον μή· φύσει δὲ εἶναι θεὸν μὲν πάσης μακαρίου σπουδῆς ἄξιον, ἄνθρωπον δέ, ὅπερ εἴπομεν ἔμπροσθεν, θεοῦ τι παίγνιον εἶναι μεμηχανημένον, καὶ ὄντως τοῦτο αὐτοῦ τὸ βέλτιστον γεγονέναι· τούτῳ δὴ δεῖν τῷ τρόπῳ ξυνεπόμενον καὶ παίζοντα ὅ τι καλλίστας παιδιὰς κατ᾽ ἄνδρα καὶ γυναῖκα οὕτω διαβιῶναι, τοὐναντίον ἢ νῦν διανοηθέντες.* Ita Plato praeclarissimo Legum loco vitae quasi speciem significarat, quam hoc loco Atheniensis, si Legum opus erit confectum, sibi expetit. Nisi omnino fallor, ex his verbis ipsum Platonem octoginta annorum cognoscimus, qui Legibus suis perfectis totum se in colendis dis immortalibus contemplandisque est positurus. Aut ipse Plato haec verba conscripsit, ita ut in eis quasi confessionem eius quandam habeamus, aut is, qui senescentis Platonis cogitandi rationem perspectam habebat et magistro mortuo pietatis monumentum exegit. Certe haec verba pulcherrima aliena sunt ab inepto illo falsario, qualis nunc a multis viris doctis auctor Epinomidis iudicatur.

E Legum loco allato apparet invito codice A scribendum esse *οἷον παιδιᾷ* pro *οἷον παιδείᾳ*.

Iam auctor ad ipsam quaestionem accedit quae cum sit perquam difficilis, more plane Platonico a dis invocandis orditur. Deinde, quod breviter supra commemoravi, in quaestione suscipienda aperte respicit Legg. X et XII p. 966 D sqq.[1]) Prioribus autem illis disputationibus cognitum erat animam ut omnis motionis universaeque vitae procreatricem corpore et antiquiorem et praestantiorem esse. Inde auctor proficiscitur: *λάβωμεν δὴ τοῦτό γε, ὡς ψυχὴ πρεσβύτερόν ἐστι σώματος.* Deinde pergit: *εἰ δ᾽ ἔχει τοῦτο οὕτω, τό γε πρῶτον ἡμῖν τοῦ πρώτου τῆς γενέσεως πιθανώτερον ἂν εἴη σχεδὸν ὑπηργμένον· καὶ θῶμεν δὴ τὴν ἀρχὴν τῆς ἀρχῆς εὐσχημονέστερον ἔχειν, καὶ τῶν μεγίστων σοφίας περὶ θεῶν γενέσεως ὀρθότατα ἐπιβαίνειν ἡμᾶς.* In his *τὸ πρῶτον τῆς γενέσεως* anima est. cf. imprimis Legg. X p. 891 E: *ὃ πρῶτον γενέσεως καὶ φθορᾶς αἴτιον ἁπάντων* et q. s. Itaque *τὸ πρῶτον τοῦ πρώτου τῆς γενέσεως* est id, quod etiam animae principium est. Quod quid sit, quamquam hic non pronuntiatur, tamen ex Epinomide concludi licet. Namque praeter duas animae et corporis notiones inducitur *νοῦς*, divina illa mens, quae siderum motibus aequabilibus i. e. numerorum vi constitutis hominibus patefacta est et tamquam summam imperii in universo mundo administrando obtinet (cf. imprimis cap. VI). Est eadem mens

[1]) De vocabulis *ἐλάβετε μὲν γὰρ δὴ καὶ ὑπομνήματα* cf. p. 20.

divina, quae in Philebo (p. 30 B) *ψυχὴν παρέχον* et (p. 25 D) *τὸ πέρας* appellatur, quod *παύει πρὸς ἄλληλα τἀναντία διαφόρως ἔχοντα, σύμμετρα δὲ καὶ σύμφωνα ἐνθεῖσα ἀριθμὸν ἀπεργάζεται,* quamque etiam *τὸ ἕν* Plato vocavit (cf. Aristot. Metaph. I p. 987 b 20 sqq.). Hoc igitur est illud *τὸ πρῶτον τοῦ πρώτου τῆς γενέσεως, ἡ ἀρχὴ τῆς ἀρχῆς.* Quae *εὐσχημονέστερον ἔχειν* dicitur. Hoc rectum esse non potest. Nam sensus aperte requirit non comparativum sed superlativum neque dubito *εὐσχημονέστατα* scribere, cum praesertim constet hanc esse fere nullam mutationem.[1]) Itaque ad omnium summa atque gravissima contemplanda perducimur, si de deorum natura, in quibus nimirum divina illa mens appareat, quaestionem instituimus.

p. 981 B: *στερεὰ δὲ σώματα λέγεσθαι χρὴ κατὰ τὸν εἰκότα λόγον πέντε.* Haec aperte Timaeo Platonico repugnant. Itaque e re erit breviter exponere, qua ratione Timaei de elementis doctrina ab Epinomidis distet. Timaei doctrina haec fere est (p. 53 C sqq.)[2]):

1. Sunt quattuor elementa: ignis, aer, aqua, terra.

2. Singula elementa singulis polyhedris aequabilibus formantur: ignis tetrahedro, aer octahedro, aqua icosahedro, terra cubo. Omnes horum corporum superficies e triangulis rectangulis oriuntur, quorum duplex ratio est. Ea enim triangula aequilateralia, quibus terminantur tetrahedrum, octahedrum, icosahedrum, oriuntur ex triangulis rectangulis, quorum hypotenusa duplo maior est quam minor catheta, quadrata autem, quibus cubus terminatur, e triangulis rectangulis quorum aequa sunt crura.

3. Aether non est elementum a ceteris absolutum, sed: *ἀέρος τὸ μὲν εὐαγέστατον ἐπίκλην αἰθὴρ καλούμενος* (p. 58 D).

Contra Epinomidis doctrina haec est: sunt quinque elementa: ignis, aether, aer, aqua, terra ita, ut aether eiusdem quodammodo iuris sit atque cetera elementa. Sine dubio autem ei dodecahedrum attributum est. Quo facto universa de hac re doctrina in Timaeo prolata funditus evertebatur. Nam dodecahedri superficies ex neutro triangulorum rectangulorum genere, quae supra descripta sunt, oritur. Quae cum ita sint, quaerendum est possimusne cogitare Platonem adeo a priore sua opinione recessisse. Atque sane habemus, cur hoc factum arbitremur. Nam primum quidem iam in ipso Timaeo haec doctrina admodum caute profertur et fortasse mutandam esse de hac re opinionem promittitur. cf. p. 54 A: *ἂν οὖν τις*

---

[1]) cf. Jannaris, Hist. Gr. Gr. § 514 et 514 b; Dieterich, Unters. z. Gesch. der gr. Spr. (1898) p. 180; cf. etiam de Wilamowitz, Textgesch. der gr. Bukol., Philol. Unters. XVIII (1906) p. 50, 1.

[2]) Omitto eam, quae Tim. p. 31 B sqq. profertur, quia cum Epinomidis doctrina omnino comparari nequit neque quidquam valet ad Epinomidem interpretandam.

ἔχῃ κάλλιον (scil. *τρίγωνον*) *ἐκλεξάμενος εἰπεῖν εἰς τὴν τούτων ξύστασιν, ἐκεῖνος οὐκ ἐχθρὸς ὢν ἀλλὰ φίλος κρατεῖ.* Deinde ib. B: *ἀλλὰ τῷ τοῦτο ἐξελέγξαντι καὶ ἀνευρόντι μὴ οὕτως ἔχειν κεῖται φιλία τὰ ἆθλα.* Sed traditum etiam est Platonem non semper Timaei doctrinam tenuisse. cf. Aetii plac. II 7 (D. p. 336 a 8): *Πλάτων πῦρ πρῶτον, εἶτα αἰθέρα, μεθ' ὃν ἀέρα, ἐφ' ᾧ ὕδωρ, τελευταίαν δὲ γῆν.* Praeterea cf. Xenocratis frg. 53 (Heinze): *τὰ μὲν οὖν ζῷα οὕτω πάλιν διῃρεῖτο* (*Πλάτων*) *εἰς ἰδέας τε καὶ μέρη, πάντα τρόπον διαιρῶν, ἕως εἰς τὰ πάντων στοιχεῖα ἀφίκετο τῶν ζώων, ἃ δὴ πέντε σχήματα καὶ σώματα ὠνόμαζεν, εἰς αἰθέρα καὶ πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ γῆν καὶ ἀέρα.* Accedit, quod etiam Philolaus[1]) Pythagoreus et ipsius Platonis discipuli Xenocrates,[2]) Speusippus,[3]) Aristoteles[4]) quinque elementa posuerunt. Dubium igitur esse non potest, quin Plato post Timaeum conscriptum ad aliam sententiam accesserit; quaeritur autem, qualis nova eius opinio fuerit. Atque fortasse Plato Aristotelis contra Timaeum dialogum argumentis commotus[5]) ut in numero, ita in natura quoque elementorum suorum Philolaum secutus est, qui non triangula plana sed corpuscula minutissima omnium principia esse arbitrabatur.[6]) De quo eo facilius cogitari potest, quod idem atque Philolaus Xenocrates[7]) et Heraclides Ponticus[8]) videntur statuisse. Porro iam Usenerus (l. s. p. 16, 4) ostendit significationem *τῆς στερεμνίας φύσεως* ab auctore Epinomidis pro elemento adhibitam (p. 981 D) disciplinam Democriteam sapere. Itaque fortasse ipse Plato senex auctoritate Aristotelis, Philolai, Democriti permotus priore sua de hac re sententia mutata Democriti doctrinae aliquatenus appropinquarat. „Wirklich war ja von der platonischen Elementenlehre nur ein kleiner Schritt zur Atomistik" (Zeller II 1^4 p. 1018, 1). Sed utut res se habet, id quidem dubitari nequit, quin Epinomis hac quoque in re genuinam Platonis doctrinam praebeat.

p. 981 C: *λέγωμεν πάλιν· οὐ γὰρ ἅπαξ ῥητέον.* His verbis admonemur de nota illa veterum epicorum philosophorum consuetudine, velut Xenophanis, Empedoclis, Parmenidis, bis vel saepius etiam

---

[1]) cf. Philolai frg. 12 (Diels); Aet. plac. II 6, 5 (D. p. 334 a 17).

[2]) cf. Heinze, Xenocrates p. 68 sq.

[3]) cf. Zeller II 1^4 p. 1007 et p. 1008, 1.

[4]) cf. Zeller II 2^3 p. 434 sqq.

[5]) cf. Aristot. de caelo III p. 304 b 2, p. 305 b 31, p. 306 a 30; cf. Heinze l. s. p. 69.

[6]) cf. Zeller I 1^5 p. 407, 5.

[7]) cf. Aet. plac. I 17, 3 (D. p. 315 b 23 et Xenocr. frg. 42, p. 174, 14 H.).

[8]) cf. Euseb. praep. evang. XIV 23, 4; Zeller II 1^4 p. 1035 et adn. 3.

ea repetendi, quae summi auctori momenti esse viderentur,[1] qua consuetudine ipse Plato saepe usus est.[2]

— *λογισμαῦ τε ἐν περιτταῖς τε καὶ ἀρτίαις ἅμα μεταβολαῖς*: Iam in Gorgia (p. 451 A sq.) arithmetica ita definitur: *ὥσπερ ἂν εἴ τίς με ἔροιτο . . . τίς ἐστιν ἡ ἀριθμητικὴ τέχνη; εἴποιμ' ἂν αὐτῷ, ὥσπερ σὺ ἄρτι, τῶν διὰ λόγου τις τὸ κῦρος ἐχουσῶν· καὶ εἴ με ἐπανέροιτο· τῶν περὶ τί; εἴποιμ' ἂν ὅτι τῶν περὶ τὸ ἄρτιόν τε καὶ περιττόν, ὅσα ἂν ἑκάτερα τυγχάνῃ ὄντα.*

— *πέντε οὖν ὄντων σωμάτων* et q. s. Inde ab his verbis de ortu animantium agitur. Quae doctrina quamquam in universum patet, nonnulla tamen habet, quae dubia atque obscura manent. Summa autem est haec: sicuti quinque elementa sunt, quinque etiam animantium genera statuenda sunt, cum singula elementa in singulis animantium generibus praevaleant. Nunquam tamen singulis elementis animantia formantur solis, sed semper reliquorum quoque elementorum copia quaedam adest: *ξυνδέσμου χάριν* (p. 984 C), ita ut pervariae animantium formae nascantur.[3] Ita genus ex terrenis praecipue elementis compositum rursus in varias species dividitur: *πάντας μὲν ἀνθρώπους, πάντα δ' ὅσα πολύποδα καὶ ἄποδα, καὶ ὅσα πορεύσιμα καὶ ὅσα μόνιμα, διειλημμένα ῥίζαις* (p. 981 D). Idem de animantibus igneis auctor statuere videtur, cum pergit: *ἄλλο δὲ χρὴ ζώου γένος θεῖναι δεύτερον γιγνόμενον ἅμα καὶ δυνατὸν ὁρᾶσθαι· τὸ γὰρ πλεῖστον πυρὸς ἔχει, ἔχει μὴν γῆς τε καὶ ἀέρος, ἔχει δὲ καὶ ἁπάντων τῶν ἄλλων βραχέα μέρη, διὸ δὴ ζῶα τε ἐξ αὐτῶν παντοδαπὰ γίγνεσθαι χρὴ φάναι καὶ ὁρώμενα.* Putandum igitur nobis est varias huius quoque animantium generis auctorem species statuisse, cui sententiae tamen verba insequentia repugnare videntur: *νομίσαι δὲ δὴ δεῖ πάλιν τὰ κατ' οὐρανὸν ζώων γένη, ὃ δὴ πᾶν χρὴ φάναι θεῖον γένος ἄστρων γενονέναι,* nisi forte existimamus varias siderum quoque esse species auctorem voluisse. De hac re certi quidquam iudicari non potest. Porro obscurum est, quae ratio intercedat inter duo haec animantium genera et ipsam tellurem, ut hoc verbo utar, planetam. Nam sidera non cum ipsa tellure, sed cum terrae incolis comparantur; supra tamen (p. 979 A) de tellure quoque quasi animata verba fiunt: *ἐγκύμων ἡ γῆ γένονεν*, et paulo infra (p. 983 B) una cum caelo et sideribus affertur. Haec quomodo inter se possint coniungi, ex Epinomide non apparet.

---

[1] cf. Diels Parmenides Lehrgedicht (1897) p. 24 sq.

[2] cf. Gorg. p. 498 E; Phaed. p. 95 E; Phileb. p. 59 E; Legg. VI p. 754 C, XII p. 957 A.

[3] cf. Tim. p. 40 A: *τοῦ μὲν θείου τὴν πλείστην ἰδέαν ἐκ πυρὸς ἀπηργάζετο.* p. 43 A: *ἓν ἐξ ἁπάντων* (scil. elementorum) *ἀπεργαζόμενοι σῶμα ἕκαστον.*

p. 981 E: verba *ταῦτα εἶναι*, quae in A desunt, cum Hermanno et Baitero deleo.

— *σώματος μὲν τυχὸν καλλίστου* i. e. *σφαιροειδοῦς*.

— *ψυχῆς δὲ εὐδαιμονεστάτης*: quippe quod expers sit omnium cupiditatum atque affectuum semperque in cogitando ratiocinandoque versetur (cf. de hac re p. 985 A et Phileb. p. 33 B).

— *ἢ γὰρ ἀνώλεθρον* et q. s. Idem fere Plato praeclaro Timaei loco (p. 41 A) ita pronuntiavit: *θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ δημιουργὸς πατήρ τε ἔργων, ἃ δι' ἐμοῦ γενόμενα ἄλυτα ἐμοῦ γε μὴ ἐθέλοντος. τὸ μὲν οὖν δὴ δεθὲν πᾶν λυτόν, τό γε μὴν καλῶς ἁρμοσθὲν καὶ ἔχον εὖ λύειν ἐθέλειν κακοῦ· δι' ἃ καὶ ἐπείπερ γεγένησθε, ἀθάνατοι μὲν οὐκ ἐστὲ οὐδ' ἄλυτοι τὸ πάμπαν, οὔ τι μὲν δὴ λυθήσεσθέ γε οὐδὲ τεύξεσθε θανάτου μοίρας, τῆς ἐμῆς βουλήσεως μείζονος ἔτι δεσμοῦ καὶ κυριωτέρου λαχόντες ἐκείνων, οἷς ὅτ' ἐγίγνεσθε ξυνεδεῖσθε.*

Iam venio ad caput sextum, quocum etiam capitis septimi partem priorem (usque ad p. 984 A) coniungere e re erit. Argumentum est hoc: Animantium generum eorum quae adhuc tractata sunt alterum scil. terrenum plerumque sine ratione, alterum scil. igneum certa semper ratione movetur. Inde concludi potest illud esse mentis expers, hoc particeps. Ex eo enim ipso, quod eadem semper ratione movetur, mente id esse praeditum apparet. Mentis autem cum anima coniunctio quae ex eiusmodi motu elucet, summam imperii in universo mundo administrando obtinere putanda est. Attamen plurimis hominibus ipsum contrarium videtur, qui veram mentem rationemque in hominibus esse censent, sidera autem, quippe quae eadem semper faciant, mente ac vita destituta esse arbitrantur. Falso autem iudicant. Namque vivere sidera animamque habere imprimis ex eorum magnitudine cognoscitur, cum omnino intellegi nequeat, quanam alia ratione tantae molis corpora, qualia sidera sunt, quae universam terram magnitudine multo superant, ordine semper tam certo tamque firmato possint moveri. Immo non solum vita, sed etiam divina quaedam mens in eiusmodi re apparet, cum uni deo insit potestas et corpus quodlibet animatum faciendi et eo movendi, quocunque vult. Itaque quicunque ad hanc rem interpretandam praeter duo illa corporis et animae principia tertium quoddam obscurum atque indefinitum inducit, ineptus est existimandus. Quodsi recte se habent, quae adhuc de hac re exposita sunt, si re vera duo principia ponenda sunt animae et corporis, quorum illud regit mentisque particeps esse potest, hoc regitur mentisque utique expers est ita, ut sidera quoque animantia ducenda sint corporis cum anima coniunctione effecta, denique si in eorum motibus divina quaedam vis atque mens conspicitur, duplici tantummodo ratione de eorum natura iudicari potest:

aut ipsi dei sunt aut simulacra deorum ab ipsis dis immortalibus confecta eademque de causa digna, quae divinis honoribus afficiantur.

p. 982 B: *ἡ ψοχῆς ἀνάγκη νοῦν κεκτημένης ἁπασῶν ἀναγκῶν πολὺ μεγίστη γίγνοιτ' ἄν· ἄρχουσα γὰρ ἀλλ' οὐκ ἀρχομένη νομοθετεῖ*: His verbis perquam plane atque breviter universa et auctoris Epinomidis et ipsius Platonis, qualis quidem in Legibus nobis occurrit, ratio atque cogitatio comprehenditur. Anima cum mente coniuncta vim necessitatemque efficit omnium potentissimam, *ἀνάγκας* illas „*τῶν μαθημάτων*". Sane aliae quoque necessitates vigent in universa rerum natura, quae quidquid malum, falsum, ratione atque ordine destitutum est procreant et, quod fieri solet in terrae incolis, saepe etiam superiores discedunt: quae tamen *ἀρχόμεναι ἀλλ' οὐκ ἄρχουσαι νομοθετοῦσιν*; nam mundi universitatem nunquam possunt occupare.

p. 982 C: *ὄντως τρεῖς Μοῖραι* et q. s. Haec verba optime illustrantur Rei publicae loco clarissimo (X p. 616 B sqq.), de quo haud dubie ipse auctor hic cogitavit: *εἰς δ ἀφικέσθαι προελθόντας ἡμερησίαν ὁδὸν καὶ ἰδεῖν αὐτόθι κατὰ μέσον τὸ φῶς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ τὰ ἄκρα αὐτοῦ τῶν δεσμῶν τεταμένα· εἶναι γὰρ τοῦτο τὸ φῶς ξύνδεσμον τοῦ οὐρανοῦ, οἷον τὰ ὑποζώματα τῶν τριήρων, οὕτω πᾶσαν ξυνέχον τὴν περιφοράν· ἐκ δὲ τῶν ἄκρων τεταμένον Ἀνάγκης ἄτρακτον, δι' οὗ πάσας ἐπιστρέφεσθαι τὰς περιφοράς* . . . p. 617 B: *ἐπὶ δὲ τῶν κύκλων αὐτοῦ ἄνωθεν ἐφ' ἑκάστου βεβηκέναι Σειρῆνα συμπεριφερομένην, φωνὴν μίαν ἱεῖσαν ἀνὰ τόνον· ἐκ πασῶν δὲ ὀκτὼ οὐσῶν μίαν ἁρμονίαν ξυμφωνεῖν. ἄλλας δὲ καθημένας πέριξ δι' ἴσου τρεῖς, ἐν θρόνῳ ἑκάστην, θυγατέρας τῆς Ἀνάγκης Μοίρας λευχειμονούσας, στέμματα ἐπὶ τῶν κεφαλῶν ἐχούσας, Λάχεσίν τε καὶ Κλωθὼ καὶ Ἄτροπον* et q. s.

p. 982 D. Usque ad verba *πλανᾶσθαί τε καὶ μετακυκλεῖσθαι* auctor suam de his rebus sententiam protulit. Iam sequuntur ea, quae ab adversariis obiciuntur: id ipsum, quod eundem semper cursum sidera obtinent, argumento est animam ea non habere. Sed anima sublata mens quoque ac divinitas evanescit. Itaque auctor, ut eos refellat, ante omnia debet probare animam esse qua illa moveantur. Atque argumento ei est illorum magnitudo, quam eam esse affirmat, ut nullo modo ea sine anima moveri posse videantur. Haec argumentatio primo obtutu admodum levis videtur. Nam quaerere licet qua tandem de causa cogitare nequeamus sine anima tanta corpora moveri. Sed tenendum est Platonem Legum libro decimo, quem auctorem respicere apertum est, copiose ostendisse quamlibet motionem anima effici, id, quod auctor hic retractare suo iure noluit. Tamen eius argumentationem hoc loco non ita gravem atque perspicuam esse concedo. Ipsum

autem eius argumentum a siderum magnitudine petitum admodum memorabile est. Quamquam enim iam dudum philosophi velut Anaximander, Empedocles, Anaxagoras, Heraclitus de solis et lunae magnitudine varia statuerant,[1]) primo tamen, quantum equidem scio, hoc loco tam certe pronuntiatur, sidera terram magnitudine multo superare, nec solum tamquam *ἀξίωμα* profertur, sed, quod novum est et imprimis notandum, argumentis satis idoneis comprobari posse affirmatur: *ἀποδείξεσι γὰρ ἱκαναῖς λαμβάνεται.* Quae verba ea de causa summi nobis pretii sunt, quod eis veteris academiae disciplinae studioque sapientiae lux aliqua affertur, ubi cum tractari siderum magnitudinem tum comprobari solitam esse comperiamus. Huc potest referri, quod Philippus Opuntius traditur scripsisse (cf. Suidam, l. s.): *περὶ τῆς ἀποστάσεως ἡλίου καὶ σελήνης, περὶ ἐκλείψεως καὶ περὶ μεγέθους τοῦ ἡλίου καὶ σελήνης καὶ γῆς, περὶ πλανητῶν*, quamquam inde Philippum esse auctorem Epinomidis concludi non licet. Immo vero, si Philippus suis de hac re quaestionibus gloriari voluisset, quod Usenero (l. s. p. 14) visum est, certe quaenam essent suae *ἀποδείξεις* nobiscum communicavisset. Fortasse autem ıpse Plato sui temporis astronomis quaestionem solvendam proposuit, quibus argumentis possit probari sidera terram magnitudine antecedere. Aristoteles quoque hanc doctrinam suscepit. cf. Aristot. Meteor. I 3 p. 339 b 6: *ὁ μὲν γὰρ τῆς γῆς ὄγκος πηλίκος ἄν τις εἴη πρὸς τὰ περιέχοντα μεγέθη, οὐκ ἄδηλον· ἤδη γὰρ ὦπται διὰ τῶν ἀστρολογικῶν θεωρημάτων ἡμῖν, ὅτι πολὺ καὶ τῶν ἄστρων ἐνίων ἐλάττων ἐστίν* (scil. luna excepta; cf. Olympiodori ad hunc locum commentar. p. 19, 35 Stüve). Praeterea cf. de caelo II 14 p. 298 a 15: *καὶ τῶν μαθηματικῶν ὅσοι τὸ μέγεθος ἀναλογίζεσθαι πειρῶνται τῆς περιφερείας, εἰς τετταράκοντα λέγουσιν εἶναι μυριάδας σταδίων· ἐξ ὧν τεκμαιρομένους οὐ μόνον σφαιροειδῆ τὸν ὄγκον ἀναγκαῖον εἶναι τῆς γῆς, ἀλλὰ καὶ μὴ μέγαν πρὸς τὸ τῶν ἄλλων ἄστρων μέγεθος.* Hoc igitur loco unum ex argumentis illis comperimus. Paulatim etiam accuratius viri docti constituebant, quaenam sidera terra essent maiora.[2])

p. 983 A: *λάβωμεν δή, τίς τρόπος* et q. s. . . . *ὡς ἡμεῖς ἀπεφηνάμεθα.* Auctor hic aperte respicit Legg. X p. 899 B: *ἄστρων δὴ πέρι πάντων καὶ σελήνης ἐνιαυτῶν τε καὶ μηνῶν καὶ πασῶν ὡρῶν πέρι τίνα ἄλλον λόγον ἐροῦμεν ἢ τὸν αὐτὸν τοῦτον, ὡς ἐπειδὴ ψυχὴ μὲν ἢ ψυχαὶ πάντων τούτων αἴτιαι ἐφάνησαν, ἀγαθαὶ δὲ πᾶσαν ἀρετήν, θεοὺς αὐτὰς εἶναι φήσομεν, εἴτε ἐν σώμασιν ἐνοῦσαι, ζῷα ὄντα, κοσμοῦσι πάντα οὐρανὸν εἴτε ὅπῃ τε καὶ ὅπως*; cf. etiam Phileb.

---

[1]) cf. Doxog. Gr. p. 351, 11 sqq. et 357, 9 sq.

[2]) cf. Philoponi comment. ad Meteor. I 3 p. 339 b 6 = p. 15, 25 (Hayduck).

p. 30 A sqq., ubi eadem fere, etsi alia adhibita ratione, exponuntur.

p. 983 C: *ὄγκους ἐκ τούτων* idem fere est atque *τούτων ὄγκους.* cf. Polit. p. 274 D: *τὸ μὲν ἐκ θεῶν . . . τῆς ἐπιμελείας ἐπέλιπεν ἀνθρώπους.*

— *μὴ ψυχῆς πρὸς ἑκάστῳ γενομένης ἢ καὶ ἐν ἑκάστοις*: de hac re cf. Legg. X p. 898 E: *ἥλιον εἰ περιάγει ψυχή, τριῶν αὐτὴν ἓν λέγοντες δρᾶν σχεδὸν οὐκ ἀποτευξόμεθα. Τίνων; Ὡς ἢ ἐνοῦσα ἐντὸς τῷ περιφερεῖ τούτῳ φαινομένῳ σώματι πάντῃ διακομίζει τὸ τοιοῦτον, καθάπερ ἡμᾶς ἡ παρ' ἡμῖν ψυχὴ πάντῃ περιφέρει· ἢ ποθεν ἔξωθεν σῶμα αὑτῇ πορισαμένη πυρὸς ἢ τινος ἀέρος, ὥς λόγος ἐστί τινων, ὠθεῖ βίᾳ σώματι σῶμα· ἢ τρίτον αὐτὴ ψιλὴ σώματος οὖσα, ἔχουσα δὲ δυνάμεις ἄλλας τινὰς ὑπερβαλλούσας θαύματι ποδηγεῖ.*

— *ῥύμας μὲν οὖν* et q. s. Auctor his verbis aperte spectat philosophos eos, qui cum omnia ad principia corporea referrent, vires quasdam naturales corporibus innatas motionis esse causas statuere cogebantur, scil. veteres physicos, Empedoclem, Diogenem Apolloniatam, Democritum, nec minus Anaxagoram „*τὸν φυσικώτατον*",[1]) quippe cuius *Νοῦς* nihil esset nisi deus ut ita dicam ex machina.[2]) Qui sunt eidem, quos Plato in Phaedone (p. 96 A sqq.) tanta cum irrisione aggreditur, quosque rursus in Legum libris X et XII (p. 967 A sqq.) impugnat. De vocabulo *ῥύμη* cf. Aet. Plac. II 6, 3 (Dox. p. 334 a 1 sqq.): *Ἐμπεδοκλῆς τὸν μὲν αἰθέρα πρῶτον διακριθῆναι, δεύτερον δὲ τὸ πῦρ, ἐφ' ᾧ τὴν γῆν, ἐξ ἧς ἄγαν περισφιγγομένης τῇ ῥύμῃ τῆς περιφορᾶς ἀναβλύσαι τὸ ὕδωρ· ἐξ οὗ ἀναθυμιαθῆναι τὸν ἀέρα.* cf. Dionys. apud Euseb. P. Ev. XIV 23, 2 sqq. (Vorsokratiker p. 377, 28 Diels): *οἱ μὲν γὰρ ἀτόμους προσειπόντες ἄφθαρτά τινα καὶ σμικρότατα σώματα πλῆθος ἀνάριθμα, καί τι χωρίον κενὸν μέγεθος ἀπεριόριστον προβαλόμενοι, ταύτας δή φασι τὰς ἀτόμους ὡς ἔτυχεν ἐν τῷ κενῷ φερομένας αὐτομάτους συμπιπτούσας ἀλλήλοις διὰ ῥύμην ἄτακτον καὶ συμπλεκομένας διὰ τὸ πολυσχήμονας οὔσας ἀλλήλων ἐπιλαμβάνεσθαι καὶ οὕτω τόν τε κόσμον καὶ τὰ ἐν αὐτῷ . . . ἀποτελεῖν* (quae est Democriti sententia).

— Verba *οὐδὲν σαφὲς ἐρεῖ* optime illustrantur Phaedonis loco (p. 99 B sq.) . . . *τὸ γὰρ μὴ διελέσθαι οἷόν τε εἶναι, ὅτι ἄλλο μέν τί ἐστι τὸ αἴτιον τῷ ὄντι, ἄλλο δὲ ἐκεῖνο, ἄνευ οὗ τὸ αἴτιον οὐκ ἄν ποτ' εἴη αἴτιον· ὃ δή μοι φαίνονται ψηλαφῶντες οἱ πολλοὶ ὥσπερ ἐν σκότει, ἀλλοτρίῳ ὀνόματι προσχρώμενοι, ὡς αἴτιον αὐτὸ προσαγορεύειν.*

p. 983 D: *πολλὰ ἑκατέρου, πάντα δὲ ἀλλήλων ἄλλα καὶ ἑκάτερα ἑκατέρων καὶ τρίτον ἄλλο οὐδὲν κοινὸν οὐδενί.* Sensus horum verborum admodum difficilium videtur esse hic: multae utriusque generis (scil. animae et corporis) formae sunt omnes inter se et utraeque ab utrisque diversae neque tamen tertium quidquam est utrisque commune. Quo iure de variis corporis formis auctor loquatur apparet: sunt quinque elementa. Animae autem multis formis variae eius vires atque facultates significari videntur, quae copiosissime Legg. X p. 896 E sqq. describuntur: *ἄγει μὲν δὴ ψυχὴ πάντα τὰ κατ' οὐρανὸν καὶ γῆν καὶ θάλατταν ταῖς ἑαυτῆς κινήσεσιν, αἷς ὀνόματά ἐστι βούλεσθαι, σκοπεῖσθαι, ἐπιμελεῖσθαι, βουλεύεσθαι, δοξάζειν ὀρθῶς, ἐψευσμένως, χαίρουσαν, λυπουμένην, θαρροῦσαν, φοβουμένην, μισοῦσαν, στέργουσαν, καὶ πάσαις ὅσαι τούτων ξυγγενεῖς ἢ πρωτουργοὶ κινήσεις τὰς δευτερουργοὺς αὖ παραλαμβάνουσαι κινήσεις σωμάτων ἄγουσι πάντα εἰς αὔξησιν καὶ φθίσιν καὶ διάκρισιν καὶ σύγκρισιν καὶ τούτοις ἑπομένας θερμότητας, ψύξεις, βαρύτητας, κουφότητας, σκληρὸν καὶ μαλακόν, λευκὸν καὶ μέλαν, αὐστηρὸν καὶ γλυκύ, καὶ πᾶσιν οἷς ψυχὴ χρωμένη, νοῦν μὲν προσλαβοῦσα αἰεὶ θεῖον ὀρθῶς θέουσα, ὀρθὰ καὶ εὐδαίμονα παιδαγωγεῖ πάντα, ἀνοίᾳ δὲ ξυγγενομένη πάντα αὖ τἀναντία τούτοις ἀπεργάζεται.* Iam restat illud *τρίτον κοινόν.* Quod nihil esse potest nisi id, unde secundum physicorum nonnullorum placita et anima et corpus oriuntur, veluti Thaletis aqua, Anaximandri *ἄπειρον*, Anaximenis, Diogenis aer, Heracliti ignis; et fortasse auctor spectat etiam Anaxagorae „*ὁμοῦ πάντα χρήματα ἦν*" (frg. 1 Diels; cf. Plat. Phaed. p. 72 C). Ad hanc rem amplius interpretandam non alienum videtur commemorare simillima atque hic auctorem Epinomidis ratione Democritum quoque posuisse duo tantummodo esse principia, quibus omnia nascuntur, tertium commune nihil. cf. Lucret. I 430 sqq.:

„Praeterea nil est quod possis dicere ab omni
corpore seiunctum secretumque esse ab inani
quod quasi tertia sit numero natura reperta."

Spectavitne auctor Epinomidis, cum haec verba conscriberet, doctrinam atomisticam? Quod si ita est, opponuntur hoc loco admodum speciose duae illae Democriti et Platonis cogitandi rationes altera ex parte alienissimae inter se, altera cognatissimae. Uterque enim duo tantum ponit principia, e quibus alterum est corporeum, alterum ab omni corpore absolutum. Democriti autem principium corporeum est id, quod re vera est, *τὸ δέν*, quo omnia, quaecumque sunt, oriuntur, quod autem caret corpore, non est omnino re vera, sed *κενόν, οὐδέν, ἄπειρον* est. Contra apud Platonem, quod corpore praeditum est, gignitur, formatur, regitur ab eo, quod corpore omnino destitutum est scil. ab anima divina. Quod si tenemus, ea quoque, quae insequuntur, multo fiunt clariora, praecipue etiam verba p. 983 E: *ὥστε τά γε δὴ κατ' οὐρανὸν ὑπ' ἄλλου του φάναι*

[1]) cf. Sext. Empir. adv. math. VII 90 (p. 208, 20 Bekker).
[2]) cf. Aristot. Metaph. I 4 p. 985 a 18.

γεγονέναι, καὶ μὴ ψυχῆς καὶ σώματος οὕτως εἶναι γεννήματα, πολλὴ μωρία τε καὶ ἀλογία. Namque Democritus „singulas mundi partes persequens, quidquid aut sit aut fiat, naturalibus fieri aut factum esse docet ponderibus et motibus“ (Cic. acad. pr. II 38, 121). Inde statim apparet minime inepta esse verba *τε καὶ σώματος*, id quod critico cuidam visum est. Si sunt duo tantum principia, omnia eis debentur. Itaque inepta est Democriti sententia, qui quamquam ipse quoque recte tertium quidquam commune esse neget, tamen vires quasdam obscuras inducere cogatur.

p. 984 A: *οὐδ' ἐν διαφέρουσι τόποις ἱδρυμένα*: huc adnotat Stallbaumius: „Legendum videtur *οὐδὲ μᾶλλον ἐν διαφέρουσι τόποις*“. Neque vero mutatione opus est. Nam hoc dicit auctor: ne simulacra quidem in locis excellentibus collocata pulchriora atque communiora sunt sideribus. Aperte autem cogitat de simulacris Gaecorum celeberrimis velut Jovis Olympii aliis. Etiam verba *σεμνότητι καὶ ξυμπάσῃ ζωῇ διαφέροντα* aptissima sunt: ne praestantissima quidem arte unquam hominibus contingit, ut simulacrum tam sanctum tamque re vera vivum efficiant, qualia astra sunt. Hic quoque auctor cogitare videtur de ingentibus illis deorum statuis, qualis erat Juppiter Olympius, quae vivere intuentibus videbantur.

Sideribus tractatis auctor inde a p. 984 B usque ad finem capitis septimi in reliquorum animantium natura describenda versatur, quae elementis aetheriis, aeriis, aquatilibus formantur. Atque ut in animantibus et terrenis et igneis, ita in his quoque formandis rem se habere affirmat. Singula enim animantia quamquam ex singulis praecipue elementorum generibus constant, tamen habent in se coniunctionis causa ceterorum quattuor generum nonnulla elementa. Quinque his animantium generibus anima mundana totum mundum complevit.

p. 984 B: *τὰ μεταξὺ τούτων.* Assentior Stallbaumio, qui haec ut glossema eiecit.

p. 984 C: *δεύτερα δὲ καὶ τρίτα* et q. s. Ad haec verba Stallbaumius ita: „Nimirum animantium genera a caelestibus statuit exordiri atque in terrena exire“, quod satis incerte pronuntiatum est. Mea quidem sententia auctor his verbis non simpliciter enumerat, sed indicat, quo ordine animantia procreata esse videantur, scil. prima sidera, deinde animantia aetheria, aeria, aquatilia, quinto denique loco terrena. Quod imprimis e vocabulis *ἀπὸ θεῶν τῶν φανερῶν ἀρξάμενα γενέσεως* mihi apparere videtur. Praeterea non sine causa haec quoque sententia pendet ab *εἰκός*: mythum praebet hic locus, sicuti Timaeus mythus est is, qui ad mundi procreationem pertinet.

Ipsa *θεογονίᾳ* et *ζωογονίᾳ* descripta iam quibus muneribus animantia divina fungantur qualibusque ideo honoribus sint afficienda auctor exponit. Atque tria deorum genera discernit: deos populares, daemones, sidera. Ac primum quidem capite octavo usque ad p. 985 D (*φύσει τῶν τοιούτων πέρι*) de dis popularibus et daemonibus agit, cuius expositionis argumentum est hoc: De dis popularibus pauca admodum dicenda sunt. Nam nihil omnino aut certum ant verisimile homines de eis scire possunt. Itaque quid de illis statui debeat, unius cuiusque arbitrio permittit, ita tamen, ut rata habeat ea, quae ipse scil. legumlator de animantium ordine statuit. Tum ad daemones describendos auctor accedit. Tria autem sunt daemonum genera, quae medium tenent inter siderum regionem et terram. Proximi ab sideribus sunt daemones aetherii, deinde aerii, tum aquatiles. E quibus aetherii et aerii, qui etsi hominibus appropinquant, tamen cerni non possunt, auctores sunt divinationis ob eamque causam precibus colendi. Consulunt enim generi humano neque quidquam eorum sagacitatem atque prudentiam effugere potest; gaudent hominum virtute, improbitatem oderunt. Nam cum summi ac perfectissimi dei (scil. sidera) affectuum prorsus expertes sint totique in cogitando versentur, daemones maerore atque laetitia afficiuntur. Summa autem celeritate inter caelum et terram vehuntur hominesque quodammodo cum dis immortalibus coniungunt. Restat denique tertium daemonum genus, aquatile. Qui vocantur semidei eamque habent facultatem, ut tum conspiciantur tum evanescant et ubicunque hominibus apparuerint, admirationem eis pro obscuritate sua iniciant. Hi omnes daemones hominibus sive sanis sive aegrotantibus sive morti appropinquantibus et privatim et publice per insomnia, omina, divinationum cum apparuerunt, auctores fiunt multarum variarumque opinionem, unde multa sacra oriuntur, quorum omnium prudenti legumlatori ratio habenda est diligenter, ut ea tantummodo ad rem publicam suam admittat, quae et certa et dis daemonibusque re vera grata esse videantur. Neque vero ea illi sacrificia tollenda sunt, quae consuetudine a patribus accepta fieri solent. Nam prorsus certi nihil de eiusmodi rebus homines scire possunt.

p. 984 D: *πάγιον ἐχέτω τοῦτον τὸν λόγον*: Hoc quid sibi velit, apparet comparato Xenocrate, qui singulis deorum suorum generibus scil. stellis fixis, planetis, elementorum viribus deorum popularium nomina attribuit (cf. Heinze, Xenocr. p. 72 sqq.). Secutus igitur est auctoris Epinomidis praeceptum.

p. 984 E. In verbis *ἀέριον δὲ γένος* variae insunt difficultates. Primum enim offendit *δέ*, pro quo Astius *τι*, Stallbaumius secutus Vat. r *γε* proposuerunt. Sed ipse quoque verborum sensus

offensionem quandam praebet.[1]) Nam non solum aerium sed aetherium quoque genus commemoratum exspectamus. De duobus enim daemonum generibus agitur, ut e verbis *ἔχον ἕδραν τρίτην καὶ μέσην* et deinde: *τῶν δὲ δύο τούτων ζώων, τοῦ τ' ἐξ αἰθέρος ἐφεξῆς τε ἀέρος* apparet. Quae difficultates ita tolli possunt, ut scribamus: *αἰθέριον ἀέριόν τε γένος.* Ceterum et ab ipso Platone sene et ab auctore Epinomidis *τε* semel positum saepius adhiberi animadverit Ritterus (Unters. über Plato p. 92). cf. p. 987 B: *ἑωςφόρος ἕσπερός τε ὤν.* p. 990 B: *εἰρήκαμεν ἐροῦμέν τε.* p. 991 A: *πλέον ἔλαττόν τε.* Subinde in A, de quo viri docti adhuc dissentiebant, secundum Jordani collationem, de qua liberalissime Immischius certiorem me fecit, extat: *ὃν διορώμενον,* quod post Bekkerum Schneiderus recepit et interpretatus est: pellucidum. Fortasse recte. Quamquam apud Platonem hoc verbum semper vim habet perspiciendi, pernoscendi. Itaque Stallbaumius nisus Bastii ut videtur falso de Par. A testimonio scribit: *οὐ διορώμενον,* Hermannus autem conicit: *οὐδ' ὁρώμενον.* Quorum nihil si quid video, verum est. Quid enim sensus requirat, apparet ex eis, quae paulo infra de tertio daemonum genere afferuntur: *εἶναι τοτὲ μὲν ὁρώμενον, ἄλλοτε δὲ ἀποκρυφθὲν ἄδηλον γιγνόμενον.* Itaque hic exspectamus *οὐδέποτ' ὁρώμενον,* quod pro scriptura tradita scribendum videtur.

p. 985 B: In vocabulis *τούτων δὴ τῶν πέντε ὄντως ὄντων ζώων* inest difficultas, quae adhuc a viris doctis neglecta videtur. Quaeritur enim, quae sint illa *πέντε ὄντως ὄντα ζῶα.* Stallbaumius nihil adnotat nisi *θείων.* Idem videtur iudicasse Astius, quippe qui paulo supra ad verba *πέμπτον ὄν* haec adnotet: „Quintum numinum genus, idque aquatile (Nympharum genus) recte quis posuerit ex aqua originem ducere. Prima enim numina sunt summi dii, *οἱ θεοὶ ἀκρότατοι,* secunda sunt astra (caelestia animantia), tertia daemones aetherii et quarta aerii." Uterque igitur quinque deorum daemonumque genera hic significari arbitratus est. Atque ut intellegamus, quid de hac re iudicandum sit, de ceterorum quoque qui in hoc capite inveniuntur numerorum significatione quaerendum est. Auctor ubi agit de daemonibus aetheriis et aeriis, tertium et medium locum eos obtinere affirmat (*ἔχον ἕδραν τρίτην καὶ μέσην*). Hic offendit vocabulum *μέσην.* Exspectamus enim *τετάρτην.* Nam significari duos locos inter se diversos neque illud *καί* aute *μέσην* vim habere „et quidem", ita, ut sensus sit hic: obtinens locum tertium atque eum medium, apparet e verbis insequentibus: *τῶν δὲ δύο τούτων ζώων*: de duobus igitur

[1]) cf. Heinze l. s. p. 93, 1; Raeder, Plat. philos. Entw. p. 417, 1.

daemonum generibus actum est. Praeterea paulo infra proximum quod inducitur genus scil. aquatile appellatur quintum, ut inde quoque eluceat id genus, quod *μέσην ἕδραν* obtinet, esse quartum. Itaque quaerendum est, quo iure in significando quarto genere vocabulum *μέση* adhibeatur. Ansam autem rei expediendae praebent proximi capitis verba (p. 984 B): *νῦν οὖν δὴ περὶ θεῶν ἐγχειρῶμεν τό γε τοσοῦτον, τὰ δύο κατιδόντες ζῶα ὁρατὰ ἡμῖν, ἅ φαμεν τὸ μὲν*[1]) *ἀθάντον, τὸ δὲ γήϊνον ἅπαν θνητὸν γεγονέναι, τὰ τρία τὰ μέσα τῶν πέντε, [τὰ μεταξὺ τούτων], σαφέστατα κατὰ δόξαν τὴν ἐπιεικῆ γεγονότα πειραθῆναι λέγειν.* Duplici igitur ratione quartum elementum i. e. aer appellari potest medium. Nam primum quidem inter tria illa de quibus nunc agitur elementa medium est; deinde ratione habita universorum quinque elementorum rursus medium locum obtinet et idcirco nunc quartum est, quod quarto loco de eo quaestio est. Secernendae igitur sunt in his capitibus duae numerorum series, quarum altera pertinet ad quaestionem ab auctore institutam, altera ad ipsam rerum naturam. Prior illa haec est: 1. terra (cf. p. 981 D: *γήϊνον μὲν τιθῶμεν τὸ πρῶτον*) 2. ignis (ibid. *ἄλλο δὲ χρὴ ζώου γένος θεῖναι δεύτερον .... τὸ .. πλεῖστον πυρὸς ἔχει*). 3. aether. 4. aer. 5. aqua. Posterior haec est: 1. ignis. 2. aether. 3. aer. 4. aqua. 5. terra. (cf. p. 984 C: *δεύτερα δὲ καὶ τρίτα καὶ τέταρτα καὶ πέμπτα, ἀπὸ θεῶν τῶν φανερῶν ἀρξάμενα γενέσεως εἰς ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους ἀποτελευτᾶν*). In capite igitur octavo, ubi de seriei prioris tertio, quarto, quinto, posterioris secundo, tertio, quarto elemento agitur, recte aer medium elementum vocatur.[2]) Inde statim apparet p. 985 B verbis *τὰ μέσα τῶν ζώον,* si ea premere volumus, aerios tantum daemones significari,[3]) quod tamen vereor ut faciendum sit. Sed redeamus ad locum, unde profecti sumus: *τούτων δὴ τῶν πέντε ὄντως ὄντων ζώων.* Ex eis quae exposui apparet his verbis significari quinque illa animantium genera scil. sidera, daemonum tria genera, animantia terrena. Erraverunt igitur Astius et Stallbaumius, qui de numinum quinque generibis hic verba fieri putaverunt. Atqui in eis quae insequuntur non de quinque his generibus, sed de daemonibus agi ex tota huius loci sententia supra reddita planum est. Inde efficitur, ut verba *τῶν πέντε ὄντως ὄντων ζώων* pendere non possint ab *ἐνέτυχον,* sed ut sint genetivus partitivus pendens a *τούτων,*

τὸ μὲν
[1]) Secundum Jordani collationem Par. A habet: *ἁ* (sic!) *φαίνο* || *μεν αθαν.* Itaque cum post *φαίνο* rasura sit, verisimillimum mihi videtur scribendum esse: *ἅ φαμεν τὸ μὲν ἀθάνατον.*

[2]) Quae non perspexit Raederus l. s. p. 417, 1.

[3]) cf. Heinze l. s. p. 93, 1.

unum autem *τούτων* ab *ἐνέτυχον* pendeat: scil. cum his, quae modo tractata sunt, e quinque animantium generibus i. e. cum daemonibus si qui homines congressi sunt et p. s. Grammaticam huius sententiae constructionem recte mihi Stallbaumius videtur explicuisse.

p. 985 D: *καὶ μὴν οὐδ᾽ ὧν ὁ πάτριος νόμος* et. q. s. Ad haec verba cf. Legg. V p. 738 B sqq.: *οὔτ᾽ ἂν καινὴν ἐξ ἀρχῆς τις ποιῇ οὔτ᾽ ἂν παλαιὰν διεφθαρμένην ἐπισκευάζηται, περὶ θεῶν γε καὶ ἱερῶν, ἅττα τε ἐν τῇ πόλει ἑκάστοις ἱδρῦσθαι δεῖ καὶ ὧντινων ἐπονομάζεσθαι θεῶν ἢ δαιμόνων, οὐδεὶς ἐπιχειρήσει κινεῖν νοῦν ἔχων ὅσα ἐκ Δελφῶν ἢ Δωδώνης ἢ παρ᾽ Ἄμμωνος ἤ τινες ἔπεισαν παλαιοὶ λόγοι ὁπῃδή τινας [πείσαντες] φασμάτων γενομένων ἢ ἐπιπνοίας λεχθείσης θεῶν* et q. s.

Singulis expositis si in universum quaerimus quibusnam cogitationibus et opinionibus tota haec daemonologia nitatur: sunt quaedam animantia, quae sicut in rerum universitate medium locum inter terram et sidera obtinent, ita natura quoque praedita sunt ea, ut alia cum dis immortalibus, alia cum hominibus communia habeant eademque de causa idonei sint, qui commercii hominum cum dis immortalibus auctores fiant. Quae cum partim ab hominibus omnino non cernantur, partim modo conspiciantur modo occultentur semperque dubiis tantummodo et visis et divinationibus appareant, non mera atque integra ratione cognoscuntur, sed incerta opinione augurantur. Iam quaerendum est, possitne haec daemonologia esse Platonis. Daemones autem a Platone saepius commemorantur.[1]) Qui ubique inducuntur quasi vires quaedam divinae iuxta ipsos deos agentes. Atque tum una cum dis popularibus et heroibus afferuntur, tum singuli daemones singulis hominibus quasi custodes tribuuntur, tum mortuorum tamquam manes sunt, tum nihil omnino certi de eorum natura pronuntiatur. Duo autem loci imprimis digni sunt, qui cum Epinomidis daemonologia conferantur. Quorum alter petitus est ex Phaedro p. 246 E sq.: *ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεύς, ἐλαύνων πτηνὸν ἅρμα, πρῶτος πορεύεται, διακοσμῶν πάντα καὶ ἐπιμελούμενος· τὸν δ᾽ ἕπεται στρατιὰ θεῶν τε καὶ δαιμόνων, κατὰ ἕνδεκα μέρη κεκοσμημένη· μένει γὰρ Ἑστία ἐν θεῶν οἴκῳ μόνη.* De hoc loco doctissime egit H. Martin (Études sur le Timée de Platon II p. 138 sqq.), qui duodecim illis partibus, e quibus exercitus Iovis constat, deos sidereos, daemones, terram significari arbitratus est, ita ut prima atque summa sit regio caelestis, ubi stellae fixae versantur, deinde sequantur septem planetarum, tum tres daemonum aetheriorum, aeriorum, aquatilium regiones, postrema sit

[1]) Locos congessit Zellerus II 1[4], p. 932, 5.

terra. Quae si recte Martinus statuit, quod mihi quidem admodum probabile videtur,[1]) est sane hic locus is, quo probetur Epinomidis daemonologiam vere Platonicam esse. Huc accedit quasi supplementum Convivii locus, p. 202 E sqq.: *πᾶν τὸ δαιμόνιον μεταξύ ἐστι θεοῦ τε καὶ θνητοῦ. Τίνα, ἦν δ᾽ ἐγώ, δύναμιν ἔχον; Ἑρμηνεῦον καὶ διαπορθμεῦον θεοῖς τὰ παρ᾽ ἀνθρώπων καὶ ἀνθρώποις τὰ παρὰ θεῶν, τῶν μὲν τὰς δεήσεις καὶ θυσίας, τῶν δὲ τὰς ἐπιτάξεις τε καὶ ἀμοιβὰς τῶν θυσιῶν, ἐν μέσῳ δὲ ὂν ἀμφοτέρων συμπληροῖ, ὥστε τὸ πᾶν αὐτὸ αὑτῷ ξυνδεδέσθαι. διὰ τούτου καὶ ἡ μαντικὴ πᾶσα χωρεῖ καὶ ἡ τῶν ἱερέων τέχνη τῶν τε περὶ τὰς θυσίας καὶ τὰς τελετὰς καὶ τὰς ἐπῳδὰς καὶ τὴν μαντικὴν πᾶσαν καὶ γοητείαν. θεὸς δὲ ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται, ἀλλὰ διὰ ταύτου πᾶσά ἐστιν ἡ ὁμιλία καὶ ἡ διάλεκτος θεοῖς πρὸς ἀνθρώπους, καὶ ἐγρηγορόσι καὶ καθεύδουσιν.* Quem locum prorsus cum Epinomide consentire elucet itaque hi duo loci ex Phaedro et Convivio petiti ad Epinomidis daemonologiam interpretandam invicem se supplent, ut illo, siquidem recte Martinus eum explicuit, daemonum natura, hoc munus atque vis describatur. Quae cum ita sint, non video cur hanc daemonologiam a Platone alienam esse iudicemus,[2]) qua *δαιμονίῳ* illi obscuro atque incerto suus in rerum universitate locus prorsus congruens cum tota Platonis senis cogitandi ratione attribuitur, cum praesertim haec doctrina, sicuti fieri solet apud Platonem, ubi de daemonibus rebusve similibus agitur, non tamquam ipsa veritas sed *κατὰ τὸν εἰκότα λόγον* proferatur (cf. p. 984 B et p. 985 D).

Daemonibus tractatis auctor ad ipsos summos deos. i. e. ad sidera transit. Atque hac quoque in re unam pietatem sanctitatemque spectat: ut summi dei a civibus rei publicae recte pieque colantur, idcirco eorum naturam describit. Nam eum peccare affirmat, qui quamvis certi quid de eis sciat, tamen profiteri non audeat itaque neglegat summis deis, qui sane ab hominibus maxima ex parte neque cognoscantur neque colantur, tandem aliquando iustos honores tribuendos curare. Atque ne ipse in hoc scelus incidat, Atheniensis eam quae sequitur quaestionem instituit. Qua in re non novam quandam aut profundam sapientam, sed id se prolaturum esse profitetur, quod quisque verum esse facillime intellegere possit. Octo autem in universo caelo vires vidit, quae propinqua inter se cognatione coniunguntur.

[1]) Quod secundum hanc interpretationem a Platone iam in Phaedro aether quasi proprium elementum adhibitum est, cum in Timaeo aether nihil sit nisi aeris pars, nihil habet difficultatis. Vidimus enim, quam non firma de hac re Platonis opinio fuerit.

[2]) cf. etiam Raederum, l. s. p. 417.

Quarum tres iam allatae sunt (scil. sol, luna, stellae fixae). Restant igitur quinque, scil. planetae quae dicuntur. Atque id praecipue agitur, ut homines tandem agnoscant esse has vires omnes inter se cognatas singulasque aequa semper atque una ratione divino quodam consilio circumferri eademque de causa iustis honoribus afficiendas nec iam earum nonnullas errantes esse vocandas. Qui autem ex omnibus eorum quoque siderum motibus divinam sapientiam elucere sentit, eius animus primum quidem admiratione afficitur, deinde autem omnibus viribus contendit, ut ipsam harum rerum veritatem consequatur, ut eorum quae videt naturam rationemque cognoscat. Qua in re contemplanda qui versabitur, ad veram beatitatem perveniet. Nunc tamen de hac re non amplius disputatur, sed id tantum agitur, ut et hic quoque certum ordinem inveniri pronuntietur, et singulae vires, quae conspici possunt, breviter describantur. Tres autem cum absolutae sint, quinque restant. Quarum duae eodem fere tempore atque sol cursum conficiunt: stellae Mercurii et Veneris, e quibus haec etiam *ἑωςφόρος* vel *ἕσπερος* appellatur, illa quippe quae per longum tempus Graecis ignota fuerit, proprio nomine vocari nequit. Iam restant tres *τῶν ἐπὶ δεξιὰ πορευομένων μετὰ σελήνης τε καὶ ἡλίου*: stella Saturni, quae omnium lentissime circumfertur, deinde Iovis, denique Martis, quae ruberrimo colore nitet. Postremo autem auctor rursus affirmat haec omnia non novam quandam esse doctrinam, sed ea, quae ab omnibus facillime perspiciantur (p. 985 D usque ad finem capitis noni).

p. 985 D: *τοὺς δὲ ὄντως ἡμῖν φανεροὺς ὄντας θεούς* et q. s. Iam ex his verbis aperte cognoscimus totam quae deinde sequitur astronomiam nihil esse nisi theologiam, quod semper nobis tenendum est recte de hoc loco iudicaturis.

— *ξυμβαίνει γιγνόμενον ἅμα τὸ τοιοῦτον*: vocabulo *ἅμα* significatur duplici eum ratione peccare, qui quae statim afferuntur committat, primum: *εἴ ποτέ τις ἡμῶν ἥλιον ἢ σελήνην ἑωρακὼς ἦν γιγνομένους ἐφορῶντάς τε ἡμᾶς πάντας, καὶ μὴ ἔφραζε δυνατὸς ὢν πῃ φράζειν,* deinde: *τιμῆς τε ἀμοίρους ὄντας ἅμα, καὶ μὴ προὐθυμεῖτο* (quod pro tradito *προθυμοῖτο* scribendum videtur) *τό γε αὑτοῦ μέρος εἰς ἔντιμον χώραν καταφανεῖς ἄγων αὐτοὺς ἑορτάς τε αὐτοῖς γίγνεσθαι ποιεῖν καὶ θυσίας.* Post *ἀμοίρους ἅμα* animo supplendum est: *ἑωρακὼς ἦν.* Solis autem et lunae utitur exemplo, quod haec sidera ab omnibus hominibus colebantur, cum planetae quae dicebantur neque cognosci neque honoribus divinis affici solerent. cf. Legg. X p. 887 E: *ἀνατέλλοντός τε ἡλίου καὶ σελήνης καὶ πρὸς δυσμὰς ἰόντων προκυλίσεις ἅμα καὶ προσκυνήσεις ἀκούοντές τε καὶ ὁρῶντες Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων πάντων.*

p. 985 E: *καὶ μὴ ἔφραζε δυνατὸς ὤν*: falso Stallbaumius repudiata Grovii coniectura *δυνατός* traditam scripturam *ἀδύνατος* restituit. Nam ex omnibus eis, quae sibi excogitavit ad lectionem tralaticiam servandam, ne unum quidem verbum in ipso textu invenitur. Recte autem Hermannus adnotat: „Nulla eius culpa est, qui debilitate impeditus officium neglegat.“

— *ἀπολαμβανόμενόν τε χρόνον* et q. s. Ad haec verba difficillima Astius haec adnotat: ‚Pro *ἀπολαμβανόμενον,* ni fallor, scribendum est: *ἀπολαμβάνοντά τε τὸν χρόνον,* ut sit: tempus computantem s. distribuentem. *ἑκάστοις* ad astra refertur, *τοὺς θεοὺς φανερούς,* quorum circuitus (hinc annus) vel maior vel minor (longior vel brevior) est.“ Stallbaumius autem ita „et selectum tempus cuique maiorum et minorum saepius annorum spatii distribuere“. Profiteor me quid haec sibi velint non satis intellegere; et, brevis ut sim, mea quidem sententia hic locus corruptus est. Quibus offendor haec sunt. Primum quidem vocabulum *ἑκάστοις* ferri non potest, pro quo exspectamus: *ἑκατέρῳ.* Neque enim, ut Astius et Stallbaumius volunt, de omnibus sideribus, sed de sole et luna agitur. (*οἷον ἂν εἴ ποτέ τις ἡμῶν ἥλιον ἢ σελήνην ἑωρακὼς ἦν* et q. s.) Deinde perquam mirum est, quod singulorum siderum circuitus annus vocatur; nam *ἐνιαυτὸς* (scil. *γένονεν*) *ὁπόταν ἥλιος τὸν ἑαυτοῦ περιέλθῃ κύκλον* (cf. Tim. p. 39 C). Denique quid significet et quo sit referendum vocabulum *πολλάκις* prorsus obscurum est. Ad locum sanandum ansam mihi praebere videtur Legum locus, VII p. 809 D: *τίνων δὴ πέρι λέγομεν; ἡμερῶν τάξεως εἰς μηνῶν περιόδους καὶ μηνῶν εἰς ἕκαστον τὸν ἐνιαυτόν, ἵνα ὧραι καὶ θυσίαι καὶ ἑορταὶ τὰ προσήκοντ᾽ ἀπολαμβάνουσαι ἑαυταῖς ἕκασται τῷ κατὰ φύσιν ἄγεσθαι, ζῶσαν τὴν πόλιν καὶ ἐγρηγορυῖαν παρεχόμεναι, θεοῖς μὲν τὰς τιμὰς ἀποδιδῶσι, τοὺς δὲ ἀνθρώπους περὶ αὐτὰ μᾶλλον ἔμφρονας ἀπεργάζωνται.* Utroque loco plane de eadem re agitur, scil. ut ratione habita singulorum deorum naturae atque dignitatis dierum festorum numerus constituatur. *Ὧραι* sunt spatia ad dies festos idonea, quae illo Legum loco *τὰ προσήκοντα ἑαυταῖς ἕκασται ἀπολαμβάνουσιν.* Quo fundamento nisus Epinomidis locum ita restituo: *ἀπολαμβανομένων τε χρόνων ἑκάσταις* (scil. *ἑορταῖς καὶ θυσίαις* modo commemoratis) *μειζόνων τε καὶ ἐλαττόνων* . . . *ὥρας διανέμειν*: singulis et sacrificiis et diebus festis temporibus vel maioribus vel minoribus selectis spatia sua tribuere. In his tempora vel maiora vel minora, quae singulis feriis *ἀπολαμβάνονται* numeri sunt dierum, qui pro varia lunae et solis ratione nimirum inter se diversi sunt. Iam restant vocabula *πολλάκις ἐνιαυτῶν,* quae vix ferri possunt. Verisimillimum autem videtur vocabulo *ἐνιαυτῶν* significari ferias illas uno quoque anno esse repetendas. Quod

si rectum est, et desideratur vocabulum *ἕκαστος* et supervacaneum est *πολλάκις*. Praeterea pro plurali exspectamus singularem numerum. Itaque fortasse scribendum est *ἑκάστου ἐνιαυτοῦ;* quod extat etiam Xenoph. de rep. Ath. III 4.

p. 986 A: *ὀκτὼ δυνάμεις τῶν περὶ ὅλον οὐρανὸν γεγονυίας*: ex variis illis viribus, quae per totum caelum vigent, octo hominum oculis patefactae sunt, cum ceterae, quas daemones auctor appellavit, augurari tantummodo possint.

p. 986 B: *τῶν ἀπλανῶν ἄστρων,* quod pro *πλανητῶν* Astius primus proposuit, ego quoque recipio. *ὧν ἐμνήσθημεν ὀλίγον ἔμπροσθεν*: haud dubie dicit locos eos, ubi de universis sideribus verba facit. cf. p. 982 C: *τεκμήριον εἶναι τοῦ νοῦν ἔχειν ἄστρα.* p. 982 E: *τὴν τῶν ἄστρων φύσιν.* p. 983 A: *πάντα δὴ τὰ φερόμενα ἄστρα.* p. 983 B: *ἅπαντάς τε ἀστέρας.* His omnibus locis in aequabili siderum cursu describendo versatur. Nunc autem accedit ad ea sidera, quae sola ab illa ratione esse aliena temereque per caelum errare videntur, scil. ad quinque planetas. Quas tamen non recte homines putant errare. Immo vero, sicuti sol et luna et stellae fixae, ita ipsae quoque una semper atque certa ratione circumferuntur. Genuina igitur putanda sunt numina debitisque honoribus afficienda.

p. 986 C: *τῶν δὲ μήτε τινὰ μοῖραν τάττωμεν* et q. s. Ad haec verba cf. Tim. p. 39 C: *τῶν δ' ἄλλων τὰς περιόδους οὐκ ἐννενοηκότες ἄνθρωποι, πλὴν ὀλίγοι τῶν πολλῶν, οὔτε ὀνομάζουσιν οὔτε πρὸς ἄλληλα ξυμμετροῦνται σκοποῦντες ἀριθμοῖς, ὥστε ὡς ἔπος εἰπεῖν οὐκ ἴσασιν χρόνον ὄντα τὰς τούτων πλάνας.* Utroque igitur loco auctor conqueritur, quod planetae quae dicuntur ab hominibus omnino fere neglegantur.

— *ἐθαύμασεν* et *ἔσχεν* aoristi gnomici sunt. Omnia haec quae insequuntur ea mihi videntur, unde ipsius Platonis senis ratio cogitatioque pulcherrime eluceat. Nam sicuti ipse Plato in Phaedro praecipue exposuit pulchris conspectis rebus philosophi animum primum admirari incipere, deinde amore inflammari ipsius pulchritudinis ideae intuendae, ita hic Epinomidis auctor contemplando siderum ordine atque pulchritudine sempiterna in sapientis hominis animo prrimum admirationem deinde amorem excitari veri videndi ipsasque huius pulchritudinis causas pernoscendi, ut tamquam initiatus universae rerum naturae mysteriis veraeque particeps factus sapientiae et vivus et mortuus vitam beatissimam consequatur.

p. 986 E: *τό γ' ἐπίπαν ἀεὶ τούτων τριῶν ὄντων τὸν νοῦν ἱκανὸν ἔχοντα ἡγεῖσθαι.* Ipsa quidem res quae hic describitur — agitur enim de Mercurio et Venere planetis, sicut ex eis quae insequuntur apparet — illustratur Timaei loco, p. 38 D: *ἥλιον δ' εἰς τὸν δεύτερον ὑπὲρ γῆς, ἑωσφόρον δὲ καὶ τὸν ἱερὸν Ἑρμοῦ λεγόμενον εἰς τὸν τάχει μὲν ἰσόδρομον ἡλίῳ κύκλον ἰόντας, τὴν δ' ἐναντίαν εἰληχότας αὐτῷ δύναμιν· ὅθεν καταλαμβάνουσί τε καὶ καταλαμβάνονται κατὰ ταὐτὰ ὑπ' ἀλλήλων ἥλιός τε καὶ ὁ τοῦ Ἑρμοῦ καὶ ἑωσφόρος.* Hoc, ut ita dicam, *φαινόμενον* Martinus (l. s. II p. 66 sq.) ita describit: „Chacune de ces deux planètes, à partir de sa conjonction au périgée, va prenant de l'avance de plus en plus sur le soleil pendant quelque temps, puis plusieurs jours s'écoulent sans que la distance longitudinale entre elle et lui change d'une manière sensible; ensuite elle se met à retarder, se retrouve en conjonction à l'apogée, et enfin reste en arrière de plus en plus, jusqu'au moment où elle redevient sensiblement stationnaire par rapport à lui, pour recommencer à le poursuivre, revenir en conjonction avec lui au perigée, et enfin le devancer de nouveau." Etsi autem qua de re agatur constat, tamen sicut Timaei *τὴν δ' ἐναντίαν εἰληχότας αὐτῷ δύναμιν,* ita Epinomidis verba *τό γ' ἐπίπαν ἀεὶ τούτων τριῶν ὄντων τὸν νοῦν ἱκανὸν ἔχοντα ἡγεῖσθαι* tam incerte tamque obscure pronuntiata sunt, ut prorsus ea neque perspicere neque interpretari possimus. Utroque sane loco auctor rem illam mirabilem oculis conspectam declarare conatur, ita tamen ut recte mihi Martinus iudicare videatur, cum scribit (l. s. II p. 74): „Il est vraisemblable, que Platon n'avait pas d'idées bien arrêtées sur les causes des irrégularités apparentes des mouvements de ces deux planètes. Dans la République (cf. X p. 617 A sq.) il n'en a pas parlé, et dans le Timée il aurait bien fait d'user de la même réserve." Quae cum ita sint, mutare haec verba non audeo. Ita autem, ut nunc sunt, hunc fere sensum praebent: Mercurius et Venus in universum quidem sole, quippe qui ratione ac vi superior sit, ducuntur.

Paulo infra cum Stallbaumio scribendum videtur *τρίτου,* quod Par. A habet, *ὃν μέν* et q. s.

— *ὃν μὲν ὀνόματι φράζειν οὐκ ἔστι διὰ τὸ μὴ γιγώσκεσθαι.* His verbis comperimus eo tempore, quo Epinomis conscripta est, planetam, quam nos Mercurium vocare solemus, nondum nomen proprium habuisse. Cui rei non obstat, quod paulo infra (p. 987 B) et Timaei loco supra allato (p. 38 D) hoc sidus *Ἑρμοῦ ἀστήρ* appellatur. Aperte enim distinguuntur *ὄνομα* et *ἐπωνυμία.* (cf. p. 987 B: *ὅτι δὲ οὐκ ὀνόματα ἔσχηκε τήν γε αἰτίαν χρὴ λέγεσθαι ταύτην, ἀλλὰ γὰρ ἐπωνυμίαν εἰλήφασι θεῶν*): *ὀνόματα* enim sunt: *ἥλιος, σελήνη, ἑωσφόρος, ἐπωνυμίαι: Ἀφροδίτης, Ἑρμοῦ, Κρόνου* sive *Ἡλίου, Διός, Ἄρεως ἀστήρ.* Quod autem postero tempore Mercurius *Στίλβων* vocatur, id huic Epinomidis loco minime repugnat. Nam ne apud Aristotelem quidem hoc nomen invenitur. Idem autem statuendum est de ceteris eiusmodi nominibus, quae postea planetis tribuebantur,

dico *Φαίνων* pro Saturno, *Φαέθων* pro Iove, *Πυρόεις* pro Marte. Neque enim apud Platonem neque apud Aristotelem huius rationis ullum vestigium invenitur. Una tamen Venus iam inde ab Homeri temporibus proprio nomine vocabatur eoque duplici: *Φωσφόρος* sive *Ἑωσφόρος* „cum antegreditur solem, cum subsequitur autem *Ἕσπερος*“ (cf. Cic. de nat. deor. 20, 53). Postea demum cognitum est *Ἑωσφόρον* et *Ἕσπερον* unum esse sidus quod tum Ibycus tum Pythagoras tum Parmenides primus perspexisse dicebatur.[1]) (cf. etiam Epin. p. 987 B: *ὁ μὲν γὰρ ἑωσφόρος ἕσπερός τε ὢν αὐτός*). Primum autem, quantum equidem invenire potui, apud auctorem *περὶ κόσμου* haec nomina coniunctim nobis occurunt, qui ita de hac re (p. 392 a 23): *συνεχῆ δὲ ἔχει ἀεὶ τὴν θέσιν ταύτῃ ὁ τοῦ Φαίνοντος ἅμα καὶ Κρόνου καλούμενος κύκλος, ἐφεξῆς δὲ ὁ τοῦ Φαέθοντος Διὸς λεγόμενος, εἶθ᾽ ὁ Πυρόεις Ἡρακλέους τε καὶ Ἄρεος προσαγορευόμενος, ἑξῆς δὲ ὁ Στίλβων, ὃν ἱερὸν Ἑρμοῦ καλοῦσιν ἔνιοι, τινὲς δὲ Ἀπόλλωνος· μεθ᾽ ὃν ὁ τοῦ Φωσφόρου, ὃν Ἀφροδίτης, οἱ δὲ Ἥρας προσαγορεύουσιν, εἶτα ὁ ἥλιος καὶ τελευταῖος ὁ τῆς σελήνης μέχρι γῆς ὁρίζεται.* Quibus ex verbis simul apparet aetate huius auctoris siderum appellationes a deorum nominibus petitas nondum firmas fuisse. Ac si quaerimus quonam tempore illis tributae esse videantur: est hoc Epinomidis caput, ubi primum nobis occurrunt. Nam ipse Plato *τὸν ἱερὸν Ἑρμοῦ λεγόμενον* unum affert (cf. Tim. p. 38 D), Aristoteles autem omnia quinque nomina novit. cf. Metaphys. XII p. 1073 b 30 sqq.: *εἶναι δὲ τῆς τρίτης σφαίρας τοὺς πόλους τῶν μὲν ἄλλων ἰδίους, τοὺς δὲ τῆς Ἀφροδίτης καὶ τοῦ Ἑρμοῦ τὰς αὐτάς;* ibid. p. 1073 b 34: *τὸ δὲ πλῆθος τῷ μὲν τοῦ Διὸς καὶ τῷ τοῦ Κρόνου τὸ αὐτὸ ἐκείνῳ ἀπεδίδου.* De caelo II p. 292 a 5: *τὸν ἀστέρα τὸν Ἄρεος.*[2]) Inde apparere videtur eodem fere tempore, quo Epinomis conscripta est haec nomina apud Graecos innotuisse; et fortasse primum in academia adhibita sunt. Neque vero dubium esse potest, quin astrologiae haec nomina debeantur, quae ea ipsa aetate ex Oriente in ex Graeciam transferri coepta est; atque eo libentius Plato haec nomina accepisse putandus est, quod ipsius de sideribus doctrina optime cum eiusmodi opinionibus, quibus astrologia nititur, congruebat. Quae omnia si consideramus, intellegimus falsam esse opinionem vulgatam, qua nomina *Στίλβων* etc. vere popularia atque antiqua putantur (veluti cf. Riess s. v. Astrologie in Pauly-Wissowa Realenzykl. II col. 1811, 8); immo, id quod ex Epinomide apparet prius *ἐπωνυμίας* illas a deorum nominibus petitas quam propria

[1]) cf. Ibyci frg. 42 (B.). Diog. Laert. VIII 1, 14; IX 3, 23. cf. etiam Bouché-Leclerq, L'astrologie Grecque p. 100.

[2]) cf. etiam Meteorol. I p. 342 b 33, p. 343 b 30; frg. 251 (Rose).

nomina apud Graecos, innotuisse. Illae enim iam in academia Platonica adhibitae sunt, haec ne Aristoteles quidem commemorat. sed primum apud auctorem *περὶ κόσμου* inveniuntur. Fortasse inde suspicari licet a stoicis ea esse inventa, qui usi *Ἑωσφόρου* nomine vetustissimo et notissimo ceteris quoque planetis divinis propria nomina tribuere studerent. Quae si recte sunt exposita, simul intellegimus, quid de memorabili codicum varietate, quae hoc loco invenitur, iudicandum sit.[1]) Nam cum in Par. A recte tradita sint (p. 987 B sqq.) *Ἑρμοῦ, Ἡλίου* (de quo vide infra) *Διός, Ἄρεως* nomina, in codice *Z* exstant *Στίλβων*, *Φαίνων* et deinde in veteribus editionibus (in *Z* haec verba casu exciderunt) *Φαέθων*, *Πυρόεις*. Codex *Z* igitur interpolatus est: quod ratione ac via factum esse inde quoque apparet, quod in Saturno afferendo genuinum vocabulum *ἐπωνυμία*, quod unice cum appellatione *Ἡλίου ἀστήρ* congruit, in *ὄνομα* mutatum est, quod sane si *Φαίνων* esset rectum, exspectaremus. Restat, ut de nomine *Ἡλίου ἀστήρ* dicam, pro quo omnes editores secuti nonnullos codices *Κρόνου* scribunt. Contra Parisini A lectionem *Ἡλίου* defendit Bidez (Rev. de philol. XXIX (1905) p. 319—320). Qui ita: „D'abord cette leçon a pour elle l'autorité du manuscrit A. Ensuite, il est avéré aujourd'hui que certains avaient surnommé la planète dite Saturne: astre du soleil. (Il faut remarquer la différence établie par l'auteur de l'Epinomis entre cette attribution, admise seulement par certains (*τινές*) et la suivante, qui doit être adoptée: *τὸν δὲ μετὰ τοῦτον λέγειν χρὴ Διός*).“ Quamquam certa ratione hanc veram esse lectionem probari non potest, tamen ea mihi probabilis videtur, ea quoque de causa, quod inter verba *Διός* et *Ἄρεως* multo facilius inusitatum nomen *Ἡλίου* in *Κρόνου* quam vice versa commutari poterat. Ceterum praeter Diodori locum a Bidez adhibitum (II 30,3), unde a Chaldaeis hoc nomen Saturno planetae tributum esse discimus, conferendus est Theonis Smynaei locus[2]) (p. 130, 23 Hiller): *οἱ λοιποὶ πλάνητες, φαίνων τε ὁ τοῦ Κρόνου προσαγορευόμενος, ὥς δέ τινες Ἡλίου* et q. s. Theo Symrnaeus hic Adrasto[3]) nititur, qui ipse saepius Posidonium videtur secutus esse.[4])

p. 986 E: *παλαιὸς γὰρ δὴ τόπος* et q. s. Hanc vulgatam lectionem omnes praeter Stallbaumium nuperi editores tenuerunt pro *τρόπος*, quod in Par. A aliis extat. Atque recte, mea quidem sententia. Minime enim, ut Stallbaumio videtur, „*τόπος* sensu

[1]) cf. Immisch, Philol. Stud. zu Plato II (1903), p. 78, 2.

[2]) Alios locos congessit Martinus in Theon. Sm. de astr. p. 88.

[3]) cf. Martin l. s. p. 77.

[4]) l. s. p. 65.

cassum esse liquet.“ Nam *παλαιὸς τόπος* secundum Platonem est is, qui multa per saecula liber fuit a magnis illis tempestatibus, quibus longo et certo intervallo intermisso singulae terrae regiones obrui solent. Quod optime illustratur Timaei praeclarissimo prooemio, unde haec afferam (p. 22 B): *Ὦ Σόλων, Σόλων*, inquit sacerdos Aegyptius, *Ἕλληνες ἀεὶ παῖδές ἐστε, γέρων δὲ Ἕλλην οὐκ ἔστιν . . . Νέοι ἐστέ . . . τὰς ψυχὰς πάντες· οὐδεμίαν γὰρ ἐν αὐταῖς ἔχετε δι' ἀρχαίαν ἀκοὴν παλαιὰν δόξαν οὐδὲ μάθημα χρόνῳ πολιὸν οὐδέν. τὸ δὲ τούτων αἴτιον τόδε. πολλαὶ καὶ κατὰ πολλὰ φθοραὶ γεγόνασιν ἀνθρώπων καὶ ἔσονται, πυρὶ μὲν καὶ ὕδατι μέγισται, μυρίοις δὲ ἄλλοις ἕτεραι βραχύτεραι . . .* (D) *ἡμῖν δὲ ὁ Νεῖλος εἴς τε τὰ ἄλλα σωτὴρ καὶ τότε ἐκ ταύτης τῆς ἀπορίας σῴζει λυόμενος . . . κατὰ δὲ τήνδε τὴν χώραν οὔτε τότε οὔτε ἄλλοτε ἄνωθεν ἐπὶ τὰς ἀρούρας ὕδωρ ἐπιρρεῖ· τὸ δ' ἐναντίον κάτωθεν πᾶν ἐπανιέναι πέφυκεν ὅθεν καὶ δι' ἃς αἰτίας τἀνθάδε σῳζόμενα λέγεται παλαιότατα* et q. s. Itaque propterea quod Graeci etiamnunc quasi adulescentes sunt, nondum ad subtiliorem siderum scientiam pervenerunt, cum Aegyptii et Babylonii multa per saecula caelum intueri soliti harum rerum peritissimi sint. cf. de hac re etiam Aristotelis locum (de caelo II p. 292 a 7 sqq.): *ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τοὺς ἄλλους ἀστέρας λέγουσιν οἱ πάλαι τετηρηκότες ἐκ πλείστων ἐτῶν Αἰγύπτιοι καὶ Βαβυλώνιοι, παρ' ὧν πολλὰς πίστεις ἔχομεν περὶ ἑκάστου τῶν ἄστρων.*[1] Hic quoque Epinomidis locus spectat ad disciplinam illam a Platone, Aristotele eiusque discipulis institutam, qua universum generis humani „*βίον*“ illustrandam sibi proponebant. Quo iam Duemmlerus hunc locum rettulit qui ita: (Kl. Schrift. II p. 453) „Ergänzend kommen die Arbeiten einiger Schüler (scil. Aristotelis) zur Geschichte anderer Einzeldisziplinen hinzu, so die des Eudemos für Geschichte der Mathematik und Theologie. Hier, für das System der Wissenschaften, war der Horizont des Aristoteles von Anfang an ein welthistorischer . . . Da ist es nun interessant zu beobachten, wie . . . Philippos von Opus . . . von dem universalhistorischen Geist aristotelischer Forschung . . . angesteckt wird, wo er von den Anfängen seiner Lieblingswissenschaft, der Astronomie, spricht.“

p. 987 A: traditum est: *ἦν Αἴγυπτός τε καὶ Συρία θ' ἱκανῶς κέκτηται*, quod non ferendum esse omnes fere editores recte censuerunt. Sed quamquam prorsus certe de hac re iudicare non possumus, tamen non *θ'*, quod illi deleverunt, sed *τε καί* eicere malo. Nam mihi quidem verisimilius videtur quendam, qui legebat *Αἴγυπτος Συρία θ'* adnotasse *τε καί*, quam eum qui legerat *Αἴγυπτός*

---

[1]) cf. etiam Simplic. ad Arist. de caelo I p. 270 b 11 = p. 117, 24 (Heiberg) et ad de caelo II p. 291 b 24 = p. 481, 12 (Heiberg).

τε καὶ Συρία inseruisse *τε*. Praeterea proposito meo accepto hiatus vitatur. De *τε* autem semel posito cf. supra. p 52.

— *θαρροῦντα χρὴ εἰς νόμον τιθέναι*: cf. Legg. II p. 657 B: *εἰ δύναιτό τις ἑλεῖν αὐτῶν καὶ ὁπωσοῦν τὴν ὀρθότητα, θαρροῦντα χρὴ εἰς νόμον ἄγειν καὶ τάξιν αὐτά.* Paulo infra traditum est: *τὸ γὰρ μὴ τίμια τὰ θεῖα εἶναι, τὰ δὲ τίμια σαφῶς οὐκ ἐμφρόνων*, pro quo omnes praeter Stallbaumium editores scribunt: *θεῖα εἶναι ἢ τάδε μὴ θεῖα.* Suo iure autem Stallbaumius lectionem traditam mihi restituisse videtur. Neque enim auctor hoc loco id agit, ut in universum probet caelestia esse divina, sed id aegre fert, quod non omnia, sed pauca tantum sidera ab hominibus in deorum numero habeantur.

p. 957 B: *τρεῖς δ' ἔτι φορὰς λέγωμεν ἐπὶ δεξιὰ πορευομένων μετὰ σελήνης τε καὶ ἡλίου.* Haec verba aperte discrepant a Timaei loco p. 36 C: *τὴν μὲν δὴ ταὐτοῦ* scil. *φορὰν* i. e. stellarum fixarum sphaeram *κατὰ πλευρὰν ἐπὶ δεξιὰ περιήγαγε, τὴν δὲ θατέρου* i. e. planetarum, solis, lunae sphaeras *ἐπ' ἀριστερά.* Iam dudum autem Boeckhius quid de hac discrepantia iudicandum sit, perspexit (cf. Unters. über das kosm. Syst. des Platon [1852] p. 29 sq.).[1] Qui ita: „Die Griechen sind von den ältesten Zeiten der Vogelschauer an gewohnt, das Gesicht nordwärts zu richten, und so wird ihnen der Aufgang rechts und es ist natürlich, den Aufgang als das Glückliche anzusehen, also das Rechte; daher ist die Bewegung des Vogels *ἐπὶ δεξιὰ* die gegen Morgen, die *ἐπ' ἀριστερὰ* die Bewegung gegen Abend, Iliad. M 239[2]) . . . Platon selbst, Gesetze VI p. 760 D[3]), nennt die Bewegung nach rechts *ἐπὶ δεξιά*, und zwar sogar eine Kreisbewegung, die den jährlichen Sonnenlauf nachahmen soll, wie Martin richtig bemerkt hat, während im Timaeos gerade die planetarische Bewegung linkswärts geht; auch der Verfasser der Epinomis, ein echter Platoniker, nennt die planetarische Bewegung . . . *ἐπὶ δεξιά.*“ Et deinde (p. 32): „In den Gesetzen und der Epinomis ist nach populärer Weise gesprochen, wie die Bezeichnung von der Erscheinung in jedem einzelnen Momente der Bewegung der Wandelsterne dargeboten ist; im Timaeos dagegen ist der volle Umlauf ins Auge gefaßt, und darum der vom Rechten ausgehende und wieder in ihm endende der einmalige Umschwung der rechtwärts oder rechtsam genannt und ähnlich der vom Linken ausgehende.“ Inde apparet Proclum erravisse, cum ex hac Epi-

---

[1]) cf. etiam Martinum, Étud. sur le Tim. II p. 42 sqq.

[2]) *εἴτ' ἐπὶ δεξί' ἴωσι πρὸς ἠόα τ' ἠέλιόν τε*
εἴτ' ἐπ' ἀριστερὰ τοί γε ποτὶ ζόφον ἠερόεντα.

[3]) *τὸ δ' ἐπὶ δεξιὰ γιγνέσθω τὸ πρὸς ἕω.*

nomidis a Timaeo discrepantia illam esse spuriam elucere diceret (cf. p. 5).

— *ἕνα δὲ τὸν ὄγδοον χρὴ λέγειν* et q. s. Hic locus ansam praebuit eis, qui Platonem senem priorem suam de siderum motibus sententiam mutavisse arbitrantur. Quorum in numero ante omnes nominandus est Schiaparellius, qui in commentatione praeclarissima quam inscripsit: I precursori di Copernico nell' antichita[1]) probare conatus est et a Platone sene (Legg. VII p, 822 A) et ab auctore Epinomidis cotidianam stellarum fixarum sphaerae rotationem negatam esse. Eorum in numero, qui ad hanc sententiam accesserunt, imprimis nominandi sunt Wolfius,[2]) Guentherus,[3]) Ritterus,[4]) Bergerus,[5]) Raederus.[6]) In eorum autem numero, qui etiam post Schiaparellium priorum sententiam imprimis a Boeckhio[7]) et Martino[8]) probatam tenuerunt, qua neque in Legibus neque in Epinomide alia atque in Timaeo doctrina inveniri statuitur, praecipue afferendi sunt Zellerus[9]) et Hultschius.[10]) Quae cum ita sint, haec mihi quaestio retractanda est. Ac primum quidem quaerendum est, quae ratio intercedat inter Epinomidem et locum e Legibus petitum, VII p. 820 E sqq. Est ibi expositum, quatenus adulescentes arithmetica et geometria institui debeant. Restat, ut idem de astronomia constituatur. Atque sicut in Epinomide, ita hic quoque astronomia ad unam theologiam spectat. Homines enim, ut pie recteque deos colere possint, idcirco astronomia imbuendi sunt: p. 820 E: *Καὶ μὴν θαῦμά γε περὶ αὐτά ἐστι μέγα καὶ οὐδαμῶς οὐδαμῇ ἀνεκτέον. Τὸ ποῖον δή; Τὸν μέγιστον θεὸν καὶ ὅλον τὸν κόσμον φαμὲν οὔτε ζητεῖν δεῖν οὔτε πολυπραγμονεῖν τὰς αἰτίας ἐρευνῶντας· οὐ γὰρ οὐδ' ὅσιον εἶναι· τὸ δὲ ἔοικε πᾶν τούτου τοὐναντίον γιγνόμενον ὀρθῶς ἂν γίγνεσθαι. Πῶς εἶπες; Παράδοξον μὲν τὸ λεγόμενον, καὶ οὐκ ἂν πρεσβύταις τις οἰηθείη πρέπειν τόδε· ἐπεὶ δ' ἄν τίς τι καλόν τε οἰηθῇ καὶ ἀληθὲς μάθημα εἶναι καὶ πόλει ξυμφέρον καὶ τῷ θεῷ παντάπασι φίλον, οὐδενὶ δὴ τρόπῳ δυνατόν ἐστιν ἔτι μὴ φράζειν.* Qua de re autem agatur in nova theologia condenda, apparet ex his: *ὦ ἀγαθοί, καταψευδόμεθα νῦν ὡς ἔπος εἰπεῖν Ἕλληνες πάντες μεγάλων θεῶν, ἡλίου τε ἅμα καὶ σελήνης. Τὸ ποῖον δὴ ψεῦδος; Φαμὲν αὐτὰ οὐδέποτε τὴν αὐτὴν ὁδὸν ἰέναι, καὶ ἄλλ' ἄττα ἄστρα μετὰ τούτων, ἐπονομάζοντες πλανητὰ αὐτά.* Id igitur Atheniensis quasi nefas vituperat, quod homines nonnulla sidera planetas appellent, quippe quae omni certa atque firma ratione destituta per caelum errare dicantur. Astronomorum igitur esse affirmat ostendere singulas planetas quoque quae dicuntur unum semper atque constantem cursum conficere. Hoc adulescentes ut intellegere possint, elementis quidem astronomiae imbuendi sunt. Deinde Clinia rogante Atheniensis rursus quae summa sit suae doctrinae exponit: Singula sidera omnia una semper eademque ratione in caelo circumferuntur atque in gyrum. Falso autem quod velocissimum est, lentissimum iudicatur. Quid autem significent *τάχιστον* et *βραδύτατον*, Simplicii loco planum fit (ad Aristot. de caelo II 291 a 29 = p. 475, 9 Heiberg): *οὐ μόνον δὲ ὁ Ἀριστοτέλης, ἀλλὰ καὶ ὁ Πλάτων θᾶττον οἴεται κινεῖσθαι τὰ τοὺς ἐλάττονας κύκλους κινούμενα τῶν τοὺς μείζονας κινουμένων. λέγει γοῦν ἐν Τιμαίῳ* (p. 39 A): „*κατὰ δὴ τὴν θατέρου φορὰν πλαγίαν οὖσαν διὰ τῆς τοῦ αὐτοῦ φορᾶς ἰούσης τε καὶ κρατουμένης τὸ μὲν μείζονα αὐτῶν, τὸ δὲ ἐλάττω κύκλον ἰόν, θᾶττων μὲν τὰ τὸν ἐλάττω, τὰ δὲ τὸν μείζω βραδύτερον περιῄειν.*“ *ἐν δὲ τῇ Πολιτείᾳ εἰπὼν περὶ τῆς τάξεως αὐτῶν καὶ πρώτην μὲν τάξας τὴν ἀπλανῆ, ὀγδόην δὲ τὴν σελήνην καὶ μεταξὺ τοὺς ἄλλους ἐπάγει* (X p. 617 A B): „*αὐτῶν δὲ τούτων τάχιστα μὲν τὸν ὄγδοον, δεύτερον δὲ καὶ ἅμα ἀλλήλοις τόν τε ἕβδομον καὶ ἕκτον καὶ πέμπτον, τρίτον δὲ φορᾷ ἰέναι τὸν τέταρτον, τέταρτον δὲ τὸν τρίτον καὶ πέμπτον τὸν δεύτερον.*“ *ἀλλ' ὁ μὲν Πλάτων δύναιτο ἂν θᾶττον λέγειν κινεῖσθαι τὰ κατωτέρω εἰς τὸν χρόνον, μόνον τῆς ἀποκαταστάσεως ἀποβλέπων, ὅτι ἐν ἐλάττονι ἀποκαθίσταται.* Prorsus autem eandem rationem habemus in Epinomide, ubi Saturnus lentissimus (p. 987 C), luna velocissima (p. 990 B) dicitur. Quodsi Plato in Legibus affirmat velocissimum sidus ab hominibus lentissimum putari solere, id eo spectat, quod lunae motus omnium maxime ratione habita stellarum fixarum retardari videtur. Ex his omnibus, quae de Legum loco exposui apparet eum prorsus cum Epinomide consentire, ita, ut alterum locum in altero interpretando adhibere possimus.

Iam quaeritur contineantne Leges et Epinomis terrae circum axem suam cotidianam rotationem et stetne in eis stellarum fixarum sphaera. Atque proficiscendum mihi videtur ab utriusque auctoris consilio scribendi: uterque explicaturus est planetarum cursus ordine non carere sed suo quemque tempore confici ideoque planetas quoque divinis honoribus dignas esse. Epinomidis autem

1) In: Memorie del r. Ist. Lomb. Classe di scienze mat. e nat. XII (1873) p. 381—432; cf. imprimis p. 400 sq.

2) Geschichte der Astronomie (1877) p. 31—35.

3) Geschichte der Mathem. und Naturwiss. im Altert., in Müller, Hdb. d. klass. Altert.-W. V 1² p. 277.

4) Comment. in Legg. p. 228 sqq.

5) Geschichte der wiss. Erdkunde der Gr.² (1903) p. 183, 2.

6) Platons philos. Entw. p. 410 sqq.

7) De Platonico systemate caelestium globorum et de vera indole astronomiae Philolaicae (Kl. Schrift. III p. 266 sqq.). Et: Unters. üb. das kosm. Syst. des Pl., impr. p. 48 sqq.

8) Études sur le Tim. II p. 86 sqq.

9) Philos. der Gr. II 1⁴ p. 808 sqq.

10) Pauly-Wissowa, Realenz. s. v. Astronomie II col. 1836.

auctor identidem expressis verbis affirmat se nihil novi praebere neque inauditi sed id, quod quisque verum esse nullo fere negotio intellegere possit (p. 986 A: *οὐδὲν μέγα διαπέπραγμαι· ῥᾴδιον γὰρ καὶ ἑτέρῳ.* p. 986 E: *οὐ γὰρ μήποτε φανῶμεν ψευδεῖς.* p. 987 C: *χαλεπὸν δὲ οὐδὲν τούτων κατανοῆσαί τινα φράζοντός τινος*). Iam praecipue agitur de his verbis (p. 987 B): *ἕνα δὲ τὸν ὄγδοον χρὴ λέγειν, ὃν μάλιστ' ἄν τις ἄνω κόσμον προσαγορεύοι, ὃς ἐναντίος ἐκείνοις ξύμπασι πορεύεται, ἄγων τοὺς ἄλλους, ὥς γε ἀνθρώποις φαίνοιτ' ἂν ὀλίγα τούτων εἰδόσιν, ὅσα δὲ ἱκανῶς ἴσμεν, ἀνάγκη λέγειν καὶ λέγομεν.* Quaeritur enim quonam referenda sint verba: *ὥς γε ἀνθρώποις φαίνοιτ' ἂν ὀλίγα τούτων εἰδόσιν,* possitne his verbis significari vulgus, quod omnino astronomiam non curat, cui narrat auctor octo se in caelo vires vidisse, quod siderum nonnulla cursu certo atque constituto carere opinatur. Hoc fieri nullo modo potest. Nam id ipsum, quo auctor hic spectat, nihil aliud est, nisi ipsius Platonis de siderum motibus opinio in Timaeo exposita, secundum quam stellarum fixarum sphaera est *ἐναντία ἐκείνοις* (planetis) *πορευομένη, ἄγουσα τοὺς ἄλλους.* cf. imprimis Tim. p. 36 C: *τὴν μὲν δὴ ταὐτοῦ* (scil. stellarum fixarum sphaeram) *κατὰ πλευρὰν ἐπὶ δεξιὰ περιήγαγε, τὴν δὲ θατέρου* (scil. planetas) *κατὰ διάμετρον ἐπ' ἀριστερά, κράτος δ' ἔδωκε τῇ ταὐτοῦ καὶ ὁμοίου περιφορᾷ.* Eiusmodi autem doctrina, qualem Timaeus praebet, hic vulgo astronomiae omnino experti tribui nequit. Minime tamen hac re causa absoluta est. Rursus enim quaeritur, quid ex hoc loco concludi liceat, utrum Plato sive ipse sive personatus his verbis aperte declarare velit se novis quaestionibus institutis sententiam in Timaeo prolatam nunc iam non tenere, an profiteatur sententiam illam meram esse coniecturam atque opinionem, quales excogitare homines cogantur, quippe qui ipsam speciem veritatis perfectionemque consequi nequeant. Illud si verum est, sane sphaera stellarum fixarum motu destituitur. Cui sententiae haec mihi repugnare videntur:

1. Auctor aperte verba facit de octo viribus (*δυνάμεις*) quae in caelo vigent. E quibus unam si motu privamus, vocabulum *δύναμις* locum suum non iam habet.

2. Expresse dicit stellarum fixarum sphaeram unam ex his viribus esse, quas quisque facile conspicere possit.

3. Affirmat omnes illas octo vires inter se cognatas, *ἀδελφάς*, esse eisdemque condicionibus uti. Hoc quoque ineptum est, si septem sese moventes, unam stantem ponit.

4. Stellis fixis non motis ideo divinos honores tribuere, quod terra circum axem rotatur, absurdum est.

5. Ne quis dicat auctorem veram rationem quamvis perspectam pronuntiare noluisse, rursus ipsius verba affero haec: *οὐ γὰρ μήποτε φανῶμεν ψευδεῖς.* Ex hisce omnibus apparere mihi videtur e verbis *ὥς γε ἀνθρώποις φαίνοιτ' ἂν ὀλίγα τούτων εἰδόσιν* concludi non licere auctorem Epinomidis stellas fixas immobiles iudicavisse. Inde sequitur auctorem his verbis doctrinam in Timaeo prolatam nihil esse profiteri nisi quod re vera est, scil. mythum fictum ab eo homine, qui de his rebus se ad ipsam veritatem pervenire posse neget. Porro minime primum in Legibus et Epinomide pronuntiatur planetas quoque cursu uno atque certo uti neque temere errare, sed illa ipsa de duplici horum siderum motu doctrina in Timaeo exposita eo spectat, ut hoc quoque mirum ut ita dicam *φαινόμενον* certis atque aeternis legibus constitutum esse cognoscatur. „*Αὐτοὶ δὲ ἑπτὰ ὄντες* .... (scil. planetae) *τὸν ἐναντίον τῇ τοῦ κόσμου στροφῇ δρόμον τρέχουσιν, ὥσπερ εἰ νεὼς εἰς βορέαν ἄνεμον φερομένης ἐπιβάτης εἰς νότον τρέχει ⟨ἐν⟩ αὐτῇ τῇ νηὶ τρέχων:*[1]) Eiusmodi simulacrum est etiam duplex ille planetarum motus in Timaeo descriptus „durch die Spiralen, deren Entstehung nachgewiesen worden, wird zugleich der Widerspruch aufgehoben, weil er nicht mehr Widerspruch ist, vielmehr ist dann eine regelmäßige Bewegung nachgewiesen.“[2]) Iam restat unus Legum locus p. 821 C: *ἐγὼ τούτων οὔτε νέος οὔτε πάλαι ἀκηκοώς* et q. s., de quo Ritterus l. s. p. 230 ita: „Aufs allerdeutlichste spricht Plato 821 E es aus, daß er im Alter seine eignen astronomischen Anschauungen gründlich umgestaltet habe.“ Hoc haud dubie rectum est. Minime tamen ex his verbis apparet hoc factum esse post Timaeum conscriptum. Nam id tantummodo dicit se aetate iam provectum demum eo pervenisse, ut in planetarum quoque motibus divinum quendam atque sempiternum ordinem agnoscendum esse sibi persuaderet. Haec est summa astronomiae Platonicae rursus iterumque ab eo pronuntiata, quae non tam ipsius rerum naturae scientia atque pervestigatione quam theologia nitebatur.

Unus autem locus ab omnibus adhuc neglectus est, qui tamen permagni momenti mihi videtur esse: Epin. p. 983 B, ubi haec extant: *οὐκ ἔστι γῆν τε καὶ οὐρανὸν ἅπαντάς τε ἀστέρας ὄγκους τε ἐκ τούτων ξύμπαντας μὴ ψυχῆς πρὸς ἑκάστῳ γενομένης ἢ καὶ ἐν ἑκάστοις εἶτα εἰς ἀκρίβειαν κατ' ἐνιαυτὸν οὕτω πορεύεσθαι κατὰ μῆνάς τε καὶ ἡμέρας* et q. s. Aperte hic pronuntiatur terram moveri. In eadem autem sententia affirmatur etiam omnia sidera caelumque universum moveri, quae ex nostra quidem cogitandi ratione sibi contradicere videntur. Inde plane cognoscimus illis temporibus minime constitisse aut terram stare stellis fixis sese moventibus

[1]) cf. Achilles, isag. excerpt. p. 39, 16 (Maass) alibi.
[2]) cf. Boeckh, Unters. p. 46.

aut his quiescentibus terram moveri. Illud quali ratione fieri possit vel fieri posse auctor sibi finxerit ex hoc quidem loco intellegere non possumus neque multum lucramur quidquam de hac re coniciendo. Multo autem maioris momenti est, quod his verbis optime illustratur Timaei Platonici locus unus omnium celeberrimus p. 40 B: *γῆν δὲ τροφὸν μὲν ἡμετέραν, εἱλλομένην δὲ περὶ τὸν διὰ παντὸς πόλον τεταμένον, φύλακα καὶ δημιουργὸν νυκτός τε καὶ ἡμέρας ἐμηχανήσατο.* Namque significari his verbis motum terrae Aristoteles auctor est, qui ita: (De caelo II p. 293b 30): *ἔνιοι δὲ καὶ κειμένην (τὴν γῆν) ἐπὶ τοῦ κέντρου φασὶν αὐτὴν ἴλλεσθαι [καὶ κινεῖσθαι] περὶ τὸν διὰ παντὸς τεταμένον πόλον, ὥσπερ ἐν τῷ Τιμαίῳ γέγραπται* et (ibid. p. 296a 24): *ἡμεῖς δὲ λέγωμεν πρῶτον πότερον (ἡ γῆ) ἔχει κίνησιν ἢ μένει· καθάπερ γὰρ εἴπομεν, οἱ μὲν αὐτὴν ἓν τῶν ἄστρων ποιοῦσιν, οἱ δ' ἐπὶ τοῦ μέσου θέντες ἴλλεσθαι καὶ κινεῖσθαί φασι περὶ τὸν πόλον μέσον.* Omnia autem quae a viris doctis allata sunt ad haec Aristotelis verba labefactanda prorsus nihili sunt,[1]) et cum in Timaeo quoque — quod hodie quidem ab omnibus viris doctis conceditur — omnia sidera moveri dicantur, sequitur, ut ibi eandem atque hoc Epinomidis loco cogitandi rationem inveniri statuamus. Quod neglecto sane Epinomidis loco ingeniosissime de Timaeo exposuit G. Grotius in commentatione quam inscripsit: Plato's doctrine respecting the rotation of the earth and Aristotle's comment upon that doctrine (1860).[2]) Prorsus mihi quae exposuit comprobavit, nisi quod Timaei Platonici astronomiam totam mythicam esse nimis neglexit. Utrum enim re vera Plato de eiusmodi axe, qualis in Timaeo describitur, cogitaverit an idem de eo iudicandum sit atque de Rei publicae fuso (X p. 616 C sqq.), certe scire non possumus. Quod tamen omnium summum atque gravissimum est, prorsus constat: „Plato conceives the kosmos as one animated and intelligent being or god, composed of body and soul. Its body is moved and governed by its soul, which is fixed or rooted in the centre, but stretches to the circumference on all sides, as well as all round the exterior. It has a perpetual movement of circular rotation in the same unchanged place, which is the sort of movement most worthy of a rational and intelligent being.“[3]) Inde sequitur et omnia sidera et terram tamquam membra huius animantis motu sempiterno praedita esse. Quae nobis ratio quamquam prorsus absona videtur; eo magis tamen nobis cavendum

---

[1]) cf. Boeckh, Unters. p. 76 sqq.; Martin l. s. II p. 86 sqq. cf. etiam Sartorius in Zeitschr. f. Philos. u. philos. Krit. 1888 (N. S. 93) p. 1 sqq.

[2]) In: The minor works of G. Grote, London 1873 (p. 239 sqq.).

[3]) l. s. p. 273.

est, ne artificiis quamvis ingeniosis adhibitis eam tollere studeamus. Quae omnia si contemplamur, hoc fere de astronomia Platonica, qualis et in Timaeo et in Legibus et in Epinomide nobis occurrit, statuendum videtur: universus mundus omniaque corpora mundana animae vi moventur aeternas secundum leges ratione mathematica constitutas. Qua re divinam quandam mentem his motibus inesse cognoscitur, quamvis corporum illorum nonnulla temere per caelum errare videantur. Astronomorum vero est leges illas patefacere, ut inde homines et veram dei naturam et rectam eius colendi rationem discere possint. Ipse autem Plato hanc quaestionem mythica ratione in Timaeo solvere conatus est, tamen ipse sciebat atque professus est hanc esse non ipsam veritatem. Qua de causa sui temporis astronomis quaestionem tractandam proposuit: *τίνων ὑποτεθέντων δι' ὁμαλῶν καὶ τεταγμένων καὶ ἐγκυκλίων κινήσεων δυνήσεται διασωθῆναι τὰ περὶ τὰς κινήσεις τῶν πλανᾶσθαι λεγομένων φαινόμενα.*[1]) Ita facillime fieri potuit, ut quondam etiam medium totius mundi non iam terrae, sed secutus ut videtur Pythagoreorum doctrinam „*κρείττονι*“ cuidam tribueret.[2]) Sed pervenisse Platonem ad certam atque constantem de his rebus sententiam verisimile non est. Nam fortasse earum quae proferebantur nulla *ἀποδείξεσιν ἱκαναῖς λαμβάνεσθαι* ei videbatur.

p. 987 C: scribendum est *Ἄρεως* pro *Ἄρεος*. Namque „libri penes quos auctoritas est Platonici unanimi testes sunt genetivi *Ἄρεως*“ (cf. Schanzii praef. ad Leges, in opp. vol. XII p. IX).

Totus hic de astronomia locus imprimis memorabilis mihi videtur propterea, quod inde aliquid de auctore Epinomidis si non statuere, at suspicari nobis licet. Quaecumque enim de re astronomica proferuntur, accommodata sunt ad communem hominum sensum atque intellectum, ita, ut fundamentum esse possint vulgaris religionis ad rem publicam admittendae; nihil tamen omnino extat hoc loco, quod ulla ratione subtiliorem quandam harum rerum doctrinam aut ratiocinationem requirat. Atqui Philippus Opuntius astronomus fuit celeberrimus. Et si comparamus alios illius aetatis astronomos veluti Heraclidem Ponticum vel Eudoxum Cnidium, qui rationibus et ingenii et artificii plenis has ipsas res, de quibus in Epinomide verba fiunt, tractaverunt, propemodum incredibile videtur Philippum astronomum hac in re tractanda ratione tam cauta atque vulgari usum esse, tantaque arte se esse astronomum dissimulavisse. Cum ipso Platone Legum scriptore haec ratio optime congruit, ab homine astronomo aliena

---

[1]) cf. Simplicius ad Aristot. de caelo II p. 292b 10 = p. 488, 16 (H).

[2]) cf. Theophr. apud Plut. quaest. Plat. VIII 1, 3; cf. Numa 11.

est. Porro vidimus verbis *ὥς γε ἀνθρώποις φαίνοιτ' ἂν ὀλίγα τούτων εἰδόσιν* auctorem Epinomidis ipsum Timaeum Platonicum spectare: certe credi fere omnino nequit Platonis discipulum, qui se esse Platonem simulat, haec verba de magistro suo scripsisse, quae mea quidem sententia uni ipsi Platoni tribui possunt.

Decimi capitis argumentum, ad quod iam transeo, est hoc: Harum rerum scientia quamquam a barbaris ad Graecos pervenit, tamen sperandum est fore, ut ipsa quoque a Graecis, sicut omnia quae adhuc a barbaris acceperunt, amplior et perfectior fiat. Neque cuiquam verendum est, ne his rebus si operam dat deorum immortalium odium suscipiat: immo vero gratus illis esse debet is, qui vera eorum natura perscrutanda ad virtutem pietatemque pervenire studeat. Sane priorum de deorum natura opiniones tam falsae erant tamque nefariae, ut qui eas vel secuti sunt vel sequuntur, impii putandi sint. Quae tamen ipse Plato in Legibus suis de his rebus constituit, eiusmodi sunt, ut inde bonum rerum universitatis summam imperii obtinere cognoscatur, quo in studio qui versabitur, ipse bonus ac pius evadat necesse est.

p. 987 B: cum Astio et Stallbaumio scribo *αὖ* pro *αὐτοῖς*.

— *λάβωμεν δὲ ὡς ὅ τί περ ἂν Ἕλληνες βαρβάρων παραλάβωσι, κάλλιον τοῦτο εἰς τέλος ἀπεργάζονται*: pulcherrime haec dicta sunt et ita, ut ab huius quoque temporis viro docto pronuntiari potuerint. Multo sane aliter iudicamus de Cicerone, cum Tuscul. I 1, 1 ita: „meum semper iudicium fuit omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Graecos aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent in quibus elaborarent.“ Fortasse Cicero, cum haec verba conscriberet, Epinomidis locum ante oculos habebat.

p. 988 A: *ἐκ Δελφῶν μαντείαις χρωμένους*: cf. de hac re Legg. VI p. 759 C *ἐκ Δελφῶν δὲ χρὴ νόμους περὶ τὰ θεῖα πάντα κομισαμένους καὶ καταστήσαντας ἐπ' αὐτοῖς ἐξηγητὰς τούτοις χρῆσθαι.*

p. 988 B sq. *λόγον δὴ καὶ πολύν* et q. s. Haec verba quamquam non prorsus emendate pronuntiata sunt, tamen corrupta esse negaverim. Nam si post verba *μηδ' ὡς οἱ δεύτεροι* animo supplemus *ἔλεγον*, quod nullo negotio fieri potest, sensus patet, scil. *λόγον πολὺν ἔχει μηδ' οὕτως, ὡς οἱ δεύτεροι ἔλεγον, κατὰ νοῦν τοῖς σώφροσι λέγεσθαι.*

p. 988 C: *καὶ οἵας μετεχειρίζοντο*: in codicibus A, Ω, Vossiano extat *καὶ ὁ μὲν καὶ οἵας*. Sed A et Vossianus in margine habent *καὶ οἶμαι*. In Ω verba *ὁ μέν* punctis notata sunt. Admodum probabiliter Hermannus pro *ὁ μέν* coniecit *ὅθεν*, quamquam recte Stallbaumius dixit haec verba locum multo aptiorem habere post *ὥς τ' ἐγένοντο*. De ipsa re cf. Legg. X p. 886 B: *εἰσὶν ἡμῖν ἐν*

γράμμασι λόγοι κείμενοι, οἳ παρ' ὑμῖν οὐκ εἰσὶ δι' ἀρετὴν πολιτείας ... οἱ μὲν ἔν τισι μέτροις, οἱ δὲ καὶ ἄνευ μέτρων λέγοντες περὶ θεῶν, οἱ μὲν παλαιότατοι, ὡς γέγονεν ἡ πρώτη φύσις οὐρανοῦ τῶν τε ἄλλων ... (D): *τὰ δὲ τῶν νέων ἡμῖν καὶ σοφῶν αἰτιαθήτω ὅπῃ κακῶν αἴτια* et q. s.

— Scribendum videtur cum codice Z *ἦν σῶμα* (cf. infra, ubi *ψυχή* sine articulo extat), *αὐτό γε ἑαυτό* pro tradito *αὐτό τε ἑαυτό* cum Stallbaumio, *θερμότησι* pro *θερμότητι* cum Orellio.

— Sequitur locus difficillimus: *νῦν δ' ὅτε* usque ad finem capitis. Atque sensus qui requiritur haud dubie hic est: sane concedendum est priorum de natura deorum opiniones fuisse nefarias probisque omnibus perhorrescendas. Quod nunc prorsus aliter se habet. Et enim scimus omnium motuum et rerum principium esse animam et perspeximus naturam boni et mali. Bonum enim est, quod ordine et numero praeditum est, malum, quod caret utroque. Quod si ponimus sequitur in universa rerum natura, qualis patefacta est corporum caelestium motibus, bonum a malo victoriam reportare. Itaque nefas esse non potest, his rebus operam dare. Iam ad singula accedamus. Priorem loci partem Stallbaumius ita reddit: „nunc autem, cum dicamus (quandoquidem dicimus) animum quidem, si in corpore insit, mirum non esse eum et hoc et semet ipsum movere et agitare, nec animus noster ulla ratione dubitat, num possit aliquam molem circumferre.“ Sine iusta causa eicit verba *θαῦμα οὐδέν*. Nam recte dicitur: putamus mirum non esse animam quodlibet corpus movere posse. Omnis enim motus causa anima est. Deinde, quod verba *οὐδ' ἡμῖν ἀπιστεῖ ψυχή* et q. s. vertit: „nec animus noster ulla ratione dubitat, num possit aliquam molem circumferre,“ sensus ineptus evadit. Neque enim de hominis animo, sed de anima mundana ut omnium principio agitur. Itaque recte iam Stephanus secutus codicem Z videtur scripsisse: *ἀπιστεῖται* scil. nobis persuasum est animam posse et q. s. Mira est constructio verborum: *οὐδ' ἡμῖν ἀπιστεῖται φυχὴ ... ὡς βάρος οὐδὲν περιφέρειν δυναμένη*. Nam etsi usu solemni auctor post *οὐκ ἀπιστεῖν* negationem inserit (cf. p. 988 E: *οὐχ οἷόν τε ἡμῖν ἀπιστεῖν, ὡς οὐ δεῖ*), tamen pro *βάρος οὐδέν* exspectamus *οὐ βάρος ἕκαστον*. Fortasse post *ὡς* inserendum est *οὐ*, nisi forte etiam gravius hic locus corruptus est.

Proximae sententiae verbum finitum est *δεῖ* (p. 988 E). Ab *ἀξιούντων* Stallbaumius pendere vult *θαῦμα οὐδὲν εἶναι*, quod mihi non rectum videtur. *'Αξιοῦν* enim est ponere „ein Axiom aufstellen“ neque quisquam ponit quidvis mirum non esse, sed putat vel affirmat, sicuti supra eadem verba recte pendent a *λέγομεν*. Itaque assentior Schmidtio et Hermanno, qui hoc altero loco illa

verba interpolata esse censuerunt. Recte tamen Stallbaumius contra Astium affirmat genetivos absolutos *ψυχῆς οὔσης* et q. s. non pro accusativo cum infinitivo positos esse, sed causam indicare. Iam restat, ut quaeramus, quid sibi velint verba *πάντων μὲν τῶν ἀγαθῶν ὄντων τοιούτων καὶ τῶν αὖ φλαύρων τοιούτων ἄλλων*. Quae Astius ita interpretatur: „*πάντων μὲν τῶν ἀγαθῶν αἰτίαν εἶναι* (*τὴν ψυχὴν τοῦ*) *τοιαῦτα εἶναι* (i. e. *ὅτι τοιαῦτά ἐστι*) *τῶν δὲ αὖ φλαύρων ὄντων τοιούτων ἄλλων* (i. e. *τοῦ τοιαῦτα εἶναι ἄλλα*, h. e. itidem prava).“ Similiter Stallbaumius de hoc loco iudicat. Quorum interpretatio quamquam obiter inspicienti placet, tamen non intellego, quo iure auctor inde, quod omnia et bona et mala ex similibus oriuntur, concludere possit in universa rerum natura bonum a malo victoriam reportare, id quod in fine totius sententiae fit. Itaque cum haec verba causam illius opinionis contineant, sequitur naturam boni et mali eis describi. Vocabulum *τοιούτων* igitur referendum est ad boni et mali definitionem, ita ut sensus sit hic: cum omnia bona talia sint, scil. qualia esse cognovimus. Bonum autem est, in quo vis numeri appareat, malum, quod numero caret (p. 978 A). Itaque inde, quod numeri vim in motibus caelestibus inesse videmus, concludere nobis licet bono mundum regi. Ita igitur totus hic locus interpretandus videtur: nunc vero quandoquidem affirmamus mirum non esse animam si in corpore insit et hoc et se ipsam movere et circumferre, persuasum nobis est animam quamlibet molem quacunque velit ratione circumferre posse. Itaque cum nunc ponamus atque ponamus propterea quod et anima omnium causa est et bona malaque qualia sint perspeximus, animam cuiusque impetus et motus procreatricem esse, scil. motus impetusque in bonum versi optimam animam, in contrarium versi contrariam, bona a malis victoriam sempiternam reportavisse censenda sunt. Sensus participii *ἀξιούντων ἡμῶν* concessivus est, scil. quamquam omnia et bona et mala animae vi effici ideoque malam etiam animam statuere cogimur, tamen summam imperii bonum obtinet. Habemus igitur hoc loco malam illam Legum Platonicarum (p. 896 D sq.) animam mundanam, de qua quid mihi iudicandum esse videatur proferam quam brevissime. In Re publica (lbr. VI et VII) Plato statuerat boni ideam, per quam omnia sunt quoque omnia tendunt, quae re vera sunt. Malum igitur re vera omnino non erat. Quae idea boni ubi primum evanuit, quaestio coorta est de mali natura et origine. Atque iam Timaei *ἀνάγκη* (p. 47 E) et Politici malum illud principium (p. 269 D sqq.), quod deo adversatur et interdum ipsius mundi dominatione potitur, ad hanc quaestionem solvendam spectant. Sed, quod cum Platonis ratione

optime convenit, hi loci prorsus mythici sunt. Etsi enim Plato in his dialogis malum omnino negare iam non ausus est, tamen nondum ad certum de hac re finem pervenerat; itaque mytho utebatur. In Legibus autem hunc finem consecutus est neque id profiteri iam dubitat. Anima enim est mater omnium, quaecunque aut sunt aut gignuntur in universa rerum natura, animae igitur malum quoque tribuendum est. Duplex igitur ipsius animae vis atque ratio est, aut bona aut mala, et bona quidem, si coniuncta cum ratione, mala, si ea destituta est. Inde apparet animam eam, quae in universo mundo regendo summam imperii obtinet, bonam esse, quippe cuius vis in caeli corporumque caelestium motibus conspiciatur.

Huius capitis exitus offensionem praebet. Quae enim summa est omnium, quae hoc capite exponuntur, ea omnino non pronuntiatur, scil. cum bona anima in universo mundo regendo malam vincat, idcirco contemplanda eius vi in sideribus patefacta hominem non malum, ut vulgus clamat, sed bonum fieri. Atque spectare huc auctorem cum ex huius capitis verbis p. 988 B: *τὸ λεγόμενον γὰρ ἂν ὄντως αὐτὸ αὑτὸ ἀγνοοῖ, χαλεπαῖνον τῷ δυναμένῳ μανθάνειν, ἀλλ' οὐ συγχαῖρον ἄνευ φθόνου διὰ θεὸν ἀγαθῷ γενομένῳ*, tum ex proximi capitis initio apparet: *ταῦτα ἡμῖν εἴρηται πάντα κατὰ τὴν τῶν ἀνοσίων τιμωρὸν δίκην· περὶ δὲ δὴ τὸ δοκιμαζόμενον οὐχ οἷόν τε ἡμῖν ἀπιστεῖν, ὡς οὐ δεῖ τόν γε ἀγαθὸν σοφὸν ἡμᾶς ἡγεῖσθαι*. Plane enim dicit se haec omnia protulisse impietatis opprobrium fugiturum et id ipsum, quod bonus fit, quicumque in his rebus contemplandis versatur, quasi fundamento ei est, quo tandem ad definiendam sapientiam diu quaesitam accedit. Desideramus igitur aliquid, cum praesertim auctor consueverit gravissima quaeque rursus iterumque repetere. Quae lacuna utrum scripturae traditae an ipsi auctori tribuenda sit, diiudicare non audeo. Satis habeo esse quandam offensionem ostendisse.

Iam veniamus ad caput undecimum, cuius argumentum hoc est: Qui bonus factus est ratione descripta, is sapiens quoque censendus est. Quaeritur autem qua usi arte atque institutione homines ad finem illum pervenire possint. Atque si interrogamus qui fiat, ut in universum quidem homines eam non assequantur: ab eis qui ad summam illam sapientiam consequendam quasi nati esse videantur, summa universae virtutis pars, quae est pietas, prave neglegi solet. Idonei vero ad illam adipiscendam ei censendi sunt, qui et ipsi pro sua indole eius modi rebus liberaliter operam navare et aliis vera esse quae ipsi cognoverint persuadere possint ita, ut eis quoque vera erga deos pietas obtingat. Hoc illi ut consequi possint, recta ratione instituendi sunt, quae ratio

appellanda est astronomia atque ea nimirum, quae in siderum motibus suspiciendis perscrutandis intellegendis versatur.

p. 988 E: ad vocabula *τιμωρὸν δίκην* cf. Legg. IV p. 716 A: *τῷ δὲ (θεῷ) ἀεὶ ξυνέπεται δίκη, τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρός* et q. s.

p. 989 B: *μέγιστον δὲ ὄφελος, ἂν γίγνωνται*: ex his verbis et eis quae insequuntur rursus apparet Epinomidis quoque auctorem in definienda summa sapientia spectare rem publicam. Plane autem admonemur de philosopho rei publicae gubernatore, qualis in Re publica describitur (V p. 473 C sqq.).

— *καὶ τό γε μέγιστον* et q. s. Comma ponendum censeo post *φύσεσιν*. Sensus enim hic est : et quod gravissimum est in eiusmodi naturis (scil. quae idoneae sunt ad sapientiam adipiscendam): animus promptus ad discendum et magna memoriae vi praeditus delectatur his rebus ita, ut sit cupidus discendi. cf. ad p. 976 B.

p. 989 C: *τούς πλείστους αὐτῶν καὶ χείρους κατέχειν* et q. s. cf. Polit. p. 309 C *τὴν τῶν καλῶν καὶ δικαίων πέρι καὶ ἀγαθῶν καὶ τῶν τούτοις ἐναντίων ὄντως οὖσαν ἀληθῆ δόξαν μετὰ βεβαιώσεως, ὁπόταν ἐν ταῖς ψυχαῖς ἐγγίγνηται, θείαν φημὶ ἐν δαιμονίῳ γίγνεσθαι γένει · · · τὸν δὴ πολιτικὸν καὶ τὸν ἀγαθὸν νομοθέτην ἆρ' ἴσμεν ὅτι προσήκει μόνον δυνατὸν εἶναι τῇ τῆς βασιλικῆς μούσῃ τοῦτο αὐτὸ ἐμποιεῖν τοῖς ὀρθῶς μεταλαβοῦσι παιδείας;*

p. 990 A: *τὸ δ' ὄνομα αὐτοῦ λέγομεν · · · ἀστρονομίαν*: nunc demum auctor sapientiam diu quaesitam definit: est astronomia cum variis mathematicae disciplinis coniuncta.

— Cum Hermanno scribendum videtur *ἀγνοοῖ τε ὅτι*. Auctor enim pro *ἀγνοῶν ὅτι* pergit per coordinationem. Cuius rationis exemplum extat etiam p. 974 A, ubi pro *ὃς σχεδὸν ἀναπνοήν* pergitur: *οὗτος δὲ* et q. s.

— *ὅτι σοφώτατον ἀνάγκη τὸν ἀληθῶς ἀστρόνομον εἶναι, μὴ τὸν καθ' Ἡσίοδον ἀστρονομοῦντα* et q. s. Totus hic locus optime illustratur Rei publicae loco illo, ubi de adulescentibus astronomia instituendis agitur (VII p. 527 D — p. 530 C). Ibi quoque ei astronomi irridentur, qui omnia ad sensus referunt, qui in sideribus suspiciendis sibi acquiescendum existimant, leges tamen et causas, quibus omnes caelestium motus debentur, non curant. Attamen ipso illo Rei publicae loco comparato cum eis, quae in Legibus et in Epinomide de astronomiae vi exponuntur, optime intellegimus, quanta discrepantia sit inter Platonem eum, qui in Re publica et eum, qui in Legibus nobis occurrit. Nam in Re publica astronomia nihil est nisi tamquam prooemium verioris atque altioris sapientiae. Nam ne astronomia quidem versatur in eis rebus perscrutandis, quae re vera sunt, quibus in cognoscendis ipsa veritatis species

hominibus contingit: *τὴν δὲ νυκτὸς πρὸς ἡμέραν ξυμμετρίαν καὶ τούτων πρὸς μῆνα καὶ μηνὸς πρὸς ἐνιαυτὸν καὶ τῶν ἄλλων ἄστρων πρός τε ταῦτα καὶ πρὸς ἄλληλα, οὐκ ἄτοπον, οἴει, ἡγήσεται τὸν νομίζοντα γίγνεσθαί τε ταῦτα ἀεὶ ὡσαύτως καὶ οὐδαμῇ οὐδὲν παραλλάττειν, σῶμά ἔχοντα καὶ ὁρώμενα, καὶ ζητεῖν παντὶ τρόπῳ τὴν ἀλήθειαν αὐτῶν λαβεῖν;* Ipsis enim sideribus altior atque praestantior est idearum mundus, quo ratione dialectica aditus hominibus praebetur. Quod nunc in Legibus et Epinomide multo aliter se habet. Sane hic quoque agnoscitur principium summum atque praestantissimum, quod omnia sublimitate antecedit, divina mens, quae usa numeris veris et ab omni corpore absolutis atque coniuncta cum anima, omnis vitae procreatrice, omnium bonorum causa ut ita dicam efficiens fit. Quae tamen homini non iam ipsa per se, sed simulacro tantummodo patefacta est scil. caelestium motibus in orbem versis (Legg. X p. 897 D sq.). Qua de causa astronomia non iam prooemium, sed finis est atque perfectio omnis scientiae, quam homini consequi liceat.

Initio capitis duodecimi, ad quod nunc transeo, postquam auctor breviter memoriam repetivit eorum, quae supra de siderum motibus exposuit, accedit ad eas disciplinas, quas opus esse homini vere astronomo arbitratur. Quae sunt arithmetica, geometria, stereometria, harmonia.

p. 990 B: *σελήνη περίοδον . . . διέξεισιν ἄγουσα μῆνα καὶ πανσέληνον πρώτην*. Neque Astio neque Stallbaumio quidquam ad hunc locum adnotare visum est. Sed mihi quidem haec verba prorsus obscura videntur. Mensis enim spatio luna cursum suum conficit. Quid tamen sibi velint verba *καὶ πανσέληνον πρώτην* nemo, opinor, dicere poterit. Locus igitur corruptus est. Itaque aut verba quaedam falsa sunt aut supervacanea aut nonnulla exciderunt. Quomodo autem ipsa haec verba quae extant corrupta sint aut qua ratione verba tam obscura interpolari potuerint, non facile intellegitur. Restat igitur, ut quaedam excidisse arbitremur. Quae sententia aliqua ex parte eo quoque confirmatur quod medio in vocabulo *πανσέληνον* post *παν* codicis Par. A fol. 298 B finitur. Sed quaeritur, quid hic desiderari videatur. Atque ea ipsa quae insequuntur ansam rei expediendae mihi praebere videntur. Negat enim auctor se hic novi quidquam proferre, sed ea tantummodo sese repetere affirmat, quae de eadem re supra exposuerit. Referimur igitur ad ea, quae p. 978 D sq. de luna protulit. Quorum summa erat lunam quindecim semper diebus crescentem, deinde totidem diebus decrescentem cursum suum conficere. Tale quid igitur hic quoque exspectandum est ita, ut vocabulo *πανσέληνον* totius lunae periodi medium significetur. Iam

restat *πρώτην*, quod aperte oppositum est vocabulo *δεύτερον*, quo statim cursus solis notatur. Itaque fortasse hic tale quid olim legebatur: *ταύτην μὲν οὖν* (scil. *σελήνην* vel *σελήνης περίοδον*) *λέγειν χρὴ πρώτην· δεύτερον δέ* et q. s. In his vocabulum *δεύτερον* non ad solis in mundo collocationem, sed ad motus celeritatem referendum est, quod inde patet, quod etiam Mercurius et Venus „*δεύτεροι*" appellantur, quippe qui eadem atque sol cederitate circumferantur. Deinde verbis *τροπὰς ἄγοντα* significatur solem per totam periodum ad alias semper stellas fixas accedere. Eodem modo *τροπή* adhibetur Tim. p. 31 D: *κατὰ ταῦτα δὴ καὶ τούτων ἕνεκα ἐγεννήθη τῶν ἄστρων, ὅσα δι' οὐρανοῦ πορευόμενα ἔσχε τροπάς.*

p. 990 C: *ἐπὶ δὲ ταῦτα παρασκευάζοντας* et q. s. Hunc locum quasi corruptum varie viri docti sanare conati sunt, nec tamen certi quidquam protulerunt. Ut eum perspiciamus, diligenter secernendi sunt magistri et discipuli. Ad magistros autem aperte referenda sunt verba: *παρασκευάζοντας · · · πολλὰ προδιδάσκοντα καὶ ἐθίζοντα δεῖ διαπονήσασθαι*, ad discipulos autem: *φύσεις δι' ἃς δυνατὸν εἶναι χρεὼν · · · παῖδα ὄντα καὶ νεανίσκον.* Itaque in universum sensus aperte hic est: ei qui ingenia ad litteras discendas idonea docere volunt, iam pueros et adulescentes multis rebus exercere debent. Pro *παρασκευάζοντας* scribendum videtur *παρασκευάζοντα*, quod apud Theonem Smyrnaeum estat, ubi hic locus etsi corruptus exscriptus est (p. 9, 12 Hiller). Iam restant verba: *δι' ἃς δυνατὸν εἶναι χρεών*, quae quamquam satis obscure pronuntiata sunt, tamen vereor, ut sint mutanda. Subaudiendum enim est ex eis quae antecedunt: *ξυννοεῖσθαι*, ut sensus evadat hic: eae naturae instituendae sunt, per quas necesse est fieri posse ut haec percipiantur i. e. quae tales sint necesse est, ut haec percipere possint.

— *διὸ μαθημάτων δέον ἂν εἴη* et. q. s. Iam igitur exponuntur disciplinae illae mathematicae, quibus usus homo recte astronomiae studere potest: *ἀριθμῶν αὐτῶν ἀλλ' οὐ σώματα ἐχόντων.* Huc recte adnotat Stallbaumius „Intellegitur mathesis pura, quae diversa est a natura *μαθημάτων σώματα ἐχόντων* h. e. a mathesi, quae versatur in numeris qui vocantur concretis et corporeis." Quod discrimen Plato saepius tangit; cf. Phileb. p. 56 Dsq.: *Οὐ σμικρὸς ὅρος, ὦ Πρώταρχε· οἱ μὲν γάρ που μονάδας ἀνίσους καταριθμοῦνται τῶν περὶ ἀριθμόν, οἷον στρατόπεδα δύο καὶ βοῦς δύο καὶ δύο τὰ σμικρότατα ἢ καὶ τὰ πάντων μέγιστα· οἱ δ' οὐκ ἄν ποτε αὐτοῖς συνακολουθήσειαν, εἰ μὴ μονάδα μονάδος ἑκάστης τῶν μυρίων μηδεμίαν ἄλλην ἄλλης διαφέρουσάν τις θήσει.*

— *δυνάμεως, ὅσην παρέχεται πρὸς τὴν τῶν ὄντων φύσιν.* His verbis in universum significatur numeri vis, qualis apparet in tota

rerum natura procreanda, formanda, administranda. Postulat igitur auctor, ut quicumque summam illam sapientiam percepturus est, ante omnia ipsius numeri naturam rationemque cognoscat, ut, quidquid ordinati, firmati, boni conspicitur, numero deberi sibi persuadeat (cf. p. 977 E sq.).

p. 991 D: *ἐφεξῆς ἐστιν, ὃ καλοῦσι μὲν σφόδρα γελοῖον ὄνομα γεωμετρίαν.* Ad haec verba interpretanda proficiscendum est a Re publ. VII p. 526 E sqq. Ubi agitur de adulescentibus geometria instituendis. Vituperat autem Plato suae aetatis geometras, quippe qui omnia ad usum et experientiam referant, neglegant tamen ipsas leges, quae in rebus geometricis alevnt. Quibus legibus perscrutandis cum operam dabat Plato, sponte perducebatur ad geometriam „*κατὰ φιλοσοφίαν*" (cf. Phileb. p. 56 E), ubi iam non de ipsis figuris geometricis, sed de earum ratione atque natura agebatur. Ita fiebat, ut nonnulla eorum, quae nos arithmetricae tribuere solemus, geometriae nomine appellarentur. Cuius rei exemplum hic quoque habemus. Quaeritur enim, qui numeri inter se dissimiles ratione quadam geometrica similes fieri possint. Quid hoc sibi velit apparet e Theaeteti loco, quem recte iam interpretes attulerunt (p. 147 D—148 B). Ubi numeri cum planis comparantur inque duas partes dividuntur, scil. numeros quadratos, qui e duobus factoribus paribus constant, et oblongos (*προμήκεις*), qui e factoribus duobus imparibus constant. Denique similia de corporibus i. e. de numeris, qui e tribus factoribus constant, statui posse affirmatur. Quam doctrinam exemplis nonnullis illustrare conabor. Numerus quadratus 4 comparari potest cum laterum suorum numeris 2; nam 4 duplum est 2. Sed si 3 quadrati spatium esse ponimus, laterum numeri scil. $\sqrt{3}$ cum quadrato comparari non possunt. Tamen fieri potest quaedam *ὁμοίωσις πρὸς τὴν τῶν ἐπιπέδων μοῖραν* (cf. Epinomidis locum), scil. si 3 non quadrati spatium, sed epipedi esse ponimus, veluti eius, cuius latera sunt 1 et 3. Ita 3 fit *ἀριθμὸς προμήκης*, qui cum laterum numeris 1 et 3 comparari potest. Porro, si ponimus 8 esse cubum, comparari potest cum laterum numeris 2. Sed si ponimus numerum 16 cubum significare, eius latera scil $\sqrt[3]{16}$ cum totius cubi numero comparari non possunt.[1]) Sin autem 16 iam non cubum, sed parallelepipedum rectangulum significare ponimus, veluti cuius latera sunt 4, 2, 2, laterum numeri cum totius corporis numero comparari possunt. Eiusmodi quaestiones quanti Plato putaverit, cognoscitur etiam Legum loco illo, ubi de pueris mathematica instituendis agit (VII p. 819 D sqq.) et omnes elementa

1) Non dico Platoni radices cubicas innotuisse.

huius rationis discere iubet; optimeque huc quadrat etiam memoria illa notissima, quae pertinet ad problema quod dicitur Delium sive cubi duplicationem.[1]) Qua sive ficta est sive vera praeclare illustrantur Epinomidis verba: ὃ δὴ θαῦμα οὐκ ἀνθρώπινον ἀλλὰ γεγονὸς θεῖον φανερὸν ἂν γίγνοιτο τῷ δυναμένῳ ξυννοεῖν.

— μετὰ δὲ ταύτην et q. s. Accusativi τοὺς τρὶς ηὐξημένους et ceteri unde pendeant quamquam non extat, tamen facile animo supplemus χρὴ μαθεῖν vel simile quid. Deinde verba ἑτέρᾳ τέχνῃ et q. s. non solum ad τοὺς δὲ ἀνομοίους αὖ γεγονότας, sed ad totam sententiam referenda sunt. Aperte enim sensus est hic: stereometria adhibita discipuli rationem numerorum ter auctorum et naturae corporeae similium, nec minus eorum, qui cum corporibus comparari nequeunt, perspicere debent.

— Pro γεωμετρίαν in codice Z itemque apud Theonem Smyrnaeum (p. 10, 8 H) extat: στερεομετρίαν, quod quamquam ipsum quoque sensum praebet, tamen aperte non genuinum est. Nam apud Platonem stereometriae nomen nunquam occurrit, quod mirum non est, cum ex ipso Platone sciamus huius artis illis temporibus vix primordia innotuisse (cf. Rep. VII p. 528 B). Iam sequitur locus difficillimus: ὃ δὲ θεῖον et q. s. Atque primam interpretationi ansam suppeditant verba καθ' ἑκάστην ἀναλογίαν: auctor igitur agit de proportionum doctrina atque ita, ut his verbis breviter omnes proportiones (καθ' ἑκάστην) significavisse videatur. Tres autem Plato proportiones cognovit: arithmeticam, geometricam, harmonicam. cf. Nicomachi eisag. II 22, 1 (p. 122, 11 Hoche): εἰσὶν οὖν ἀναλογίαι αἱ μὲν πρῶται καὶ πᾶσι τοῖς παλαιοῖς ὁμολογούμεναι, Πυθαγόρᾳ καὶ Πλάτωνι καὶ Ἀριστοτέλει, τρεῖς πρώτισται ἀριθμητική, γεωμετρική, ἁρμονική. Quam sententiam contineri hoc loco apparet etiam ex eis quae insequuntur, ubi plane tres illae proportiones describuntur. Primum autem locum obtinet proportio geometrica et ea quidem, quae ab 1 progressa numerum 2 factorem habet, i. e. 1, 2, 4, 8. Verborum autem constructio haec est: ἡ μὲν δὴ πρώτη τοῦ διπλασίου (δύναμις) κατ' ἀριθμὸν ἓν πρὸς δύο φερομένη scil. ἐστίν, διπλάσιον δὲ (ἐστὶν) ἡ κατὰ δύναμιν οὖσα (δύναμις)· ἡ δ' εἰς τὸ στερεόν τε καὶ ἁπτὸν (φερομένη δύναμις) πάλιν αὖ δεπλάσιον (ταύτης ἐστίν). In his ἡ τοῦ διπλασίου δύναμις est vis numeri 2 sive factor 2. Verbis autem ἡ κατὰ δύναμιν οὖσα significatur factor ipse secum multiplicatus i. e. numerus quadratus scil. 4. Namque „οἱ παλαιοὶ τὰ τετράγωνα δυνάμεις ὠνόμαζον" (comment. anon. in Plat. Theaet. col. 27, 31 = Berliner Klassikertexte II [1905] p. 19). Verba autem κατὰ λόγον ante φερομένη significant: secundum pro-

[1]) cf. C. Blass: De Platone mathematico (1861) p. 23 sqq.

portionem descriptam, scil. quae in duplo semper versatur. Denique verbis ἀφ' ἑνὸς εἰς ὀκτὼ διαπορευθεῖσα rursus omnia comprehenduntur. Sequitur proportio arithmetica, quae his verbis describitur: ἡ δὲ διπλασίου μὲν εἰς μέσον (φερομένη ἐστίν), ἴσως δὲ τοῦ ἐλάττονος πλέον ἔλαττόν τε τοῦ μείζονος. Est enim analogia arithmetica ea, ubi ternorum membrorum medium tanto superat externorum minus, quanto maiore superatur. Hac analogia cum geometrica illa coniuncta existit series haec: $1, \frac{3}{2}, 2, 3, 4, 6, 8$. Recte igitur haec analogia dicitur διπλασίου εἰς μέσον φέρεσθαι. Iam sequitur proportio harmonica his verbis descripta: τὸ δ' ἕτερον τῷ αὐτῷ μέρει τῶν ἄκρων αὐτῶν ὑπερέχον καὶ ὑπερεχόμενον. In analogia enim harmonica minus externorum memborum eadem sua parte medio superatur, qua maius medium superat. Quae si cum utrisque illis coniungitur, evadit hoc: $1, \frac{4}{3}, \frac{3}{2}, 2, \frac{8}{3}, 3, 4, \frac{16}{3}, 6, 8$. Quo etiam clarior fiat totus hic locus afferam Archytae fragmentum 2 (Diels): μέσαι δέ ἐντι τρῖς τᾷ μουσικᾷ, μία μὲν ἀριθμητικά, δευτέρα δὲ γαμετρικά, τρίτα δ' ὑπεναντία, ἂν καλέοντι ἁρμονικάν. ἀριθμητικὰ μέν, ὄκκα ἔωντι τρεῖς ὅροι κατὰ τὰν τοίαν ὑπεροχὰν ἀνὰ λόγον· ᾧ πρᾶτος δευτέρου ὑπερέχει, τωὐτῷ δεύτερος τρίτου ὑπερέχει καὶ ἐν ταύτᾳ ⟨τᾷ⟩ ἀναλογίᾳ συμπίπτει εἶμεν τὸ τῶν μειζόνων ὅρων διάστημα μεῖον, τὸ δὲ τῶν μειόνων μεῖζον. γαμετρικὰ δέ, ὄκκα ἔωντι οἷος ὁ πρῶτος ποτὶ τὸν δεύτερον, καὶ ὁ δεύτερος ποτὶ τὸν τρίτον. τούτων δὲ οἱ μείζονες ἴσον ποιοῦνται τὸ διάστημα καὶ οἱ μείους. ἁ δὲ ὑπεναντία, ἂν καλοῦμεν ἁρμονικάν, ὄκκα ἔωντι ⟨τοῖοι· ᾧ⟩ ὁ πρῶτος ὅρος ὑπερέχει τοῦ δευτέρου αὐταύτου μέρει, τωὐτῷ ὁ μέσος τοῦ τρίτου ὑπερέχει τοῦ τρίτου μέρει. γίνεται δὲ ἐν ταύτᾳ τᾷ ἀναλογίᾳ τὸ τῶν μειζόνων ὅρων διάστημα μεῖζον, τὸ δὲ τῶν μειόνων μεῖον. Hoc loco simul etiam illustrantur sententiae superioris verba τῆς ἐξ ἐναντίας ταύτῃ, quibus idem significari videtur atque verbo ὑπεναντία scil. analogia harmonica. His omnibus autem sponte admonemur de Timaei loco celeberrimo, ubi de anima mundana easdem secundum analogias formanda agitur (p. 35 B sqq.). Atque contineri eandem rem hoc quoque Epinomidis loco e verbis ἀποτυποῦται πᾶσα ἡ φύσις cognoscitur. Quo spectat etiam huius capitis exitus, qui iam interpretandus est: ἐν μέσῳ δὲ τοῦ ἓξ πρὸς τὸ δώδεκα ξυνέβη τό τε ἡμιόλιον καὶ ἐπίτριτον. Haec quoque verba ad analogiam harmonicam spectant, tamen ad certam aliquam scil. eam, qua hemiolii et epitriti origo perspiciatur. cf. Nicom. l. s. II 26. 2 (p. 135, 10 H): τινὲς δὲ αὐτὴν (scil. τὴν μεσότητα) ἁρμονικὴν καλεῖσθαι νομίζουσιν ἀκολούθως Φιλολάῳ ἀπὸ τοῦ παρέπεσθαι πάσῃ γεωμετρικῇ ἁρμονίᾳ, γεωμετρικὴν δὲ ἁρμονίαν φασὶ τὸν κύβον ἀπὸ τοῦ κατὰ τὰ τρία δια-

στήματα ἡρμόσθαι ἰσάκις ἴσα ἰσάκις· ἐν γὰρ παντὶ κύβῳ ἥδε ἡ μεσότης ἐνοπτρίζεται. πλευραὶ μὲν γὰρ παντὸς κύβου εἰσὶν ιβ̄, γωνίαι δὲ η̄, ἐπίπεδα δὲ ς̄· μεσότης ἄρα ὁ η̄ τῶν ς̄ καὶ τῶν ιβ̄ κατὰ τὴν ἁρμονικήν. Ita intellegimus, cur hoc Epinomidis loco haec ipsa analogia 6, 8, 12 adhibeatur, ut quid sit *ἡμιόλιον* et *ἐπίτριτον* ostendatur. Epitritum enim est 6 : 8 (3 : 4), hemiolium 8 : 12 (2 : 3). Hac autem analogia harmonica nititur universa rhythmi et harmoniae doctrina: *ἡ δὲ ἁρμονία συγγενεῖς ἔχουσα φορὰς ταῖς ἐν ἡμῖν τῆς ψυχῆς περιόδοις, τῷ μετὰ νοῦ προσχρωμένῳ Μούσαις, οὐκ ἐφ' ἡδονὴν ἄλογον καθάπερ νῦν, εἶναι δοκεῖ χρήσιμος, ἀλλ' ἐπὶ τὴν γεγονυῖαν ἐν ἡμῖν ἀνάρμοστον ψυχῆς περίοδον εἰς κατακόσμησιν καὶ συμφωνίαν ἑαυτῇ σύμμαχος ὑπὸ Μουσῶν δέδοται· καὶ ῥυθμὸς αὖ διὰ τὴν ἄμετρον ἐν ἡμῖν καὶ χαρίτων ἐπιδεᾶ γιγνομένην ἐν τοῖς πλείστοις ἕξιν ἐπίκουρος ἐπὶ ταὐτὰ ὑπὸ τῶν αὐτῶν ἐδόθη* (Tim. p. 47 D sq.). Ex his Timaei verbis, quibus totus hic locus optime illustratur, apparere mihi videtur extrema periodi verba non vertenda esse: felici Musarum choreae donata, sed: a Musarum felici chorea donata scil. hominibus. Quae omnia si contemplamur intellegimus agi hoc loco de necessitudine illa atque cognatione, quae intercedit inter rhythmum et harmoniam eam, qua homines utuntur in arte musica exercenda, et harmoniam illam, qua universa rerum natura completur. Inter Timaei autem illum locum (p. 35 B sqq.) et hunc Epinomidis locum id interest, quod in Timaeo universa sphaerarum harmonia accurate describitur, in Epinomide fundamenta tantummodo mathematica, quae opus sunt ad hanc rem perspiciendam, exponuntur.[1]) Duo tamen huius capitis verba quid sibi velint nondum explicui: p. 990 E: *εἶδος καὶ γένος*. Quorum quinam sit sensus, mihi quidem prorsus obscurum est. Neque vero solum sensus, sed etiam constructio grammatica non patet. Aut enim sunt nominativi sicut *πᾶσα ἡ φύσις* aut accusativi a *κατά* sicut *ἑκάστην ἀναλογίαν* pendentes, aut verbum *ἀποτυποῦται* sensum activum habet, unde accusativi *εἶδος καὶ γένος* ut obiectum pendeant. Atque ne longus sim, mea quidem sententia haec verba spuria sunt. Etiamnunc autem suspicari licet, unde huc venerint. Videntur enim adscripta fuisse ad proximi capitis verba: *τὸ καθ' ἓν τῷ κατ' εἴδη προσακτέον* (p. 991 C), quae recte Stallbaumius ita interpretatur: „h. e. singula generibus; quod est artis dialecticae munus, quae rerum genera atque formas discernere docet et quomodo singularia cum generalibus contineantur ostendit.“ Ad artem autem dialecticam haec quoque verba *εἶδος καὶ γένος* spectant, non ad sphaerarum concentum. Quod si rectum est, simul intellegimus verbum *ἀποτυποῦται* sensu passivo adhibitum esse, quod etiam Boeckhio (l. s.) visum est.

1) cf. etiam Martin l. s. I p. 389. Boeckh, kl. Schr. III p. 165.

Restat caput tertium decimum, ad quod interpretandum nunc venio. Argumentum autem est hoc: Totius mundi harmonia percepta ad cognoscendam siderum naturam transeundum est; deinde autem adhibita ratione dialectica singula tractanda sunt, quae cognita habeat necesse est is, qui ad perfectam sapientiam perventurus est. Omnium autem summum atque difficillimum erit caelestium motuum certa spatia atque tempora perspicere. Qui autem haec omnia cognatione quadam inter se atque vinculo coniuncta esse intellexerit, is profecto veram illam et sapientiam et pietatem erit consecutus, quam qui habet, perfecte beatus existimandus est. Tales autem viri rei publicae praeficiendi et ad nocturnum illud concilium admittendi sunt, ut omnes cives ad veram ergo deos immortales pietatem perducant afferantque rei publicae universae salutem.

Huius quoque capitis pars prior versatur in ratione describenda ea, qua discipuli uti debeant, ut summam sapientiam consequantur.

p. 991 B: *θεῖα γένεσις* idem est atque *θεῶν γένεσις* sive *θεογονία*. cf. de hac re, quae inde a capite quinto exposita sunt.

p. 991 C: *πρὸς τούτοις* et q. s. Ratio dialectica quatenus necessaria sit homini sapienti auctor breviter supra (p. 978 B) explicuit. Quod optime convenit cum Legibus Platonicis, ubi summi rei publicae magistratus, ut rationem reddere possint virtutis omniumque rerum magnitudine, pulchritudine, gravitate excellentium, iubentur facultatem habere: *τοῦ πρὸς μίαν ἰδέαν ἐκ τῶν πολλῶν καὶ ἀνομοίων δυνατὸν εἶναι βλέπειν* (XII p. 965 C). Sane dudum evanuit idearum doctrina, ea quidem, quam proprie Platonicam appellare solemus, ipsae ideae factae sunt numeri, disciplinae mathematicae *κάλλιστα μαθήματα* vocantur, tamen in tractandis pulcherrimis disciplinis etiamnunc adhibetur ratio ea, quam Plato adulescens a Socrate praeceptore suo tamquam hereditatem acceperat, cuius immemor nunquam fieri potuit. Qua qui utitur, ei *δεσμὸς πεφυκὸς πάντων τούτων εἷς ἀναφανήσεται* (Epin. p. 992 A).

p. 991 D: *ἱκανῶς εἰρῆσθαι τὸ θεῶν εἶναι πάντα πλέα*: cf. Legg. X p. 899 B: *ἔσθ' ὅστις ταῦτα ὁμολογῶν ὑπομενεῖ μὴ θεῶν εἶναι πλήρη πάντα.*

— *ἀμελείᾳ τῶν κρειττόνων*: *κρείττονες* per totam antiquitatem sermone vulgari dei appellantur. cf. Plat. Sophist. p. 216 B: *τάχ' οὖν ἂν καὶ σοί τις οὗτος τῶν κρειττόνων συνέποιτο.* cf. Theophr. Charact. XVI (*π. δεισιδ.*) 8: *ταράττεσθαι καὶ εἶπας: Ἀθηνᾶ κρείττων, παρελθεῖν οὕτω.* cf. Hesych. s. v. *κρείσσονας: τοὺς ἥρωας οὕτω λέγουσιν. δοκοῦσιν δὲ κακώτικοί* (*κακότυχοι* cod.) *τινες εἶναι· διὰ τοῦτο καὶ οἱ*

παριόντες τὰ ἡρῷα σιγὴν ἔχουσι μή τι βλαβῶσι. καὶ οἱ θεοὶ δέ. Αἰσχύλος Αἰτναίαις (frg. 10 N^{2}).

— εἰ δὲ μή, θεὸν ἄμεινον ἀεὶ καλεῖν: cf. de hac sententia Rep. VI p. 492 A: ἣν τοίνυν ἔθεμεν τοῦ φιλοσόφου φύσιν, ἂν μέν, οἶμαι, μαθήσεως προσηκούσης τύχῃ, εἰς πᾶσαν ἀρετὴν ἀνάγκη αὐξανομένην ἀφικνεῖσθαι, ἐὰν δὲ μὴ ἐν προσηκούσῃ σπαρεῖσά τε καὶ φυτευθεῖσα τρέφηται, εἰς πάντα τἀναντία αὖ, ἐὰν μή τις αὐτῇ βοηθήσας θεῶν τύχῃ.

p. 992 A: οὐ γὰρ ἄνευ τούτων et q. s. Ingenti quodam impetu hic auctoris oratio incedit. Nam rursus ex his verbis quasi erumpit universa eius ratio cogitandi, scil. unam numeri scientiam deos immortales hominibus praebuisse, ne prorsus errore opprimerentur: θεὸν δ᾽ ἀριθμὸν μᾶλλον ἤ τινα τύχην ἡγοῦμαι δόντα ἡμῖν σῴζειν ἡμᾶς (p. 976 E). Prorsus qui hoc sibi persuaserit, etsi iam vivus ad beatitatem illam, quantam homini consequi licet, pervenerit, perfectam tamen mortuus adipiscetur, quippe qui corpore relicto omnium cupiditatum expers in divina semper sapientia contemplanda versaturus sit, ita, ut re vera unus factus esse videatur: τὸ αὑτοῦ ἐπιτηδεύων . . . μὴ πολλοί, ἀλλὰ εἷς (cf. Rep. IV p. 423 D).

p. 992 C: pro tradito αὐτός scribo cum Bekkero αὑτός.

— ὃ δὲ κατ᾽ ἀρχάς τε ἐλέγομεν et q. s. His verbis auctor eo revertitur, unde tota haec de summa sapientia quaestio profecta erat: perpaucos tantum homines beatos fieri posse. Haec sententia, quae tum ἄτοπος videbatur, nunc οὐκ ἄτοπος facta est. Nam illi pauci eidem sunt atque vere sapientes. Nunc vero scimus etiam, quid Cliniae respondendum sit interroganti (Legg. XII p. 968 B): τίς δὲ ὁ τρόπος ἡμῖν γιγνόμενος ὀρθῶς γίγνοιτ᾽ ἄν; namque ἃ δ᾽ ἔστιν εἰρήκαμεν, scil. in Epinomide. Vera autem sapientia tandem inventa vere politica est, quam summi civitatis magistratus consequi debeant, ut divina fiat res publica.

Singulis tractatis restat ut profitear, quid de Epinomidis auctore mihi iudicandum esse videatur. Atque haec pono:

1. Nullus est in Epinomide locus, qui ab ipso Platone non alienus esse non possit.

2. Est unus certe locus, quem non ab ipso Platone conscriptum esse fere omnino cogitari nequit; dico p. 987 B, ubi de sententia quadam in Timaeo Platonico prolata dicitur: ὥς γε ἀνθρώποις φαίνοιτ᾽ ἂν ὀλίγα τούτων εἰδόσιν. Quae verba ab eo, qui fingat se ipsum esse Platonem, prorsus abhorrent.

3. Universa auctoris ratio cogitandi virum sapit admodum senem, qui mox aetate exacta beate sese moriturum esse confidit cf. p. 973 C, 980 A sq., 992 B sq.

4. Ipse Plato in Legum operis fine se talem qualis Epinomis est libellum conscripturum esse promisit (p. 969 A); ipse igitur censuit sine eiusmodi libello opus Legum non perfectum esse.

5. In hiatibus vitandis auctor Epinomidis prorsus cum Legibus Platonicis ceterisque quae Platoni seni tribui solent scriptis facit.

6. Iam Aristophanes Byzantius cunque eo tota fere antiquitas Epinomidem genuinam esse censuit.

His obstat, quod traditum est viros doctos quosdam antiquos Epinomidem spuriam iudicavisse. Quorum tamen partim neque nomina neque argumenta nota sunt, partim argumenta eiusmodi sunt, ut alterum nihil probet, alterum plane falsum sit.

His causis adducor, est quamquam testimonia illa antiqua tollere non possum, tamen Epinomidem genuinum opus Platonis esse censeam.[1]) Sed etiamsi illi ἔνιοι, qui Epinomidem spuriam esse putaverunt, vera atque antiqua memoria nisi recte iudicarunt, tamen id quidem prorsus constat veram Platonis senis rationem cogitationemque ex Epinomide elucere, qui etiamnunc homines docere atque meliores facere studet et qui ipse universae rerum naturae unitatem divinumque ordinem auguratus ad eam sapientiam beatitatemque pervenit, quantam homini vivo consequi liceat, quae tamen mortuo contingat perfecta:

Ἀνδρὸς ὃν οὐδ᾽ αἰνεῖν τοῖσι κακοῖσι θέμις·
Ὃς μόνος ἢ πρῶτος θνητῶν κατέδειξεν ἐναργῶς,
Οἰκείῳ τε βίῳ καὶ μεθόδοισι λόγων,
Ὡς ἀγαθός τε καὶ εὐδαίμων ἅμα γίγνεται ἀνήρ.[2])

[1]) Certius fortasse iudicari poterit, si Epinomidis elocutio, quae in universum cum Legibus convenit (cf. p. 25 sq.), cum tota Platonis senis dicendi ratione etiam diligentius comparata erit. Quae res multas habet difficultates, quod neque Leges neque Epinomis, etiamsi conscripta est a Platone, ab ipso edita est vehementissimeque adhuc viri docti de Legum ratione atque condicione inter se dissentiunt. Itaque quae neglecto hoc argumento de Epinomidis auctore statuere vel suspicari nobis liceat, enumeravi.

[2]) cf. de his Aristotelis versibus Immisch, Philol. 1906 (N. S. XIX) p. 1 sqq.

Tabula argumenti.

Typis expressit Robertus Noske Bornensis.

Vita.

Natus sum Hermannus Reuther Lipsiae anno proximi saeculi LXXXIII. die XXX. mensis Septembris patre Carolo, matre Lydia e gente Haberkorniana, quos ambo adhuc vivere vehementissime gaudeo. Fidem profiteor Lutheri evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus scholam Thomanam Lipsiensem adii. Ubi novem post annos testimonium maturitatis adeptus studio philologiae classicae me dedidi. Ac primum quidem duo per semestria Lipsiae, deinde unum per semestre Berolinae, inde ab illo tempore rursus Lipsiae studiis meis operam navavi. Lectionibus interfui vel intersum virorum doctissimorum Bethe, Brugmann, Diels, M. Heinze, R. Heinze, Immisch, Jungmann, Lamprecht, Lipsius, Marx, Ed. Meyer, E. Schmidt, Sievers, Studniczka, Vahlen, Volkelt, Wachsmuth (†), Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorff, Wilcken, Wundt. Tria per semestria sodalis fui proseminarii philologi Lipsiensis moderante Immischio, unum per semestre Berolinensis moderantibus Helmio, Imelmanno, M. Schmidtio, de Wilamowitzio. Eximia Lipsii et Marxii benignitate in seminarium philologum receptus sum, quod duo per semestria frequentari. Praeterea aditum mihi patefecerunt Kötzschke ad proseminarium historicum, Lamprecht et Wilcken ad seminarium historicum, Barth et M. Heinze ad seminarium philosophum, Jungmann ad seminarium paedagogum. Denique ad exercitationes metricas admisit me Marx, ad exercitationes archaeologicas Studniczka.

His omnibus viris doctis gratias habeo quam maximas; imprimis autem cum Lipsium et Marxium, qui ad seminarium philologum aditum mihi praebuerunt liberalissimeque studiis meis faverunt, tum Immischium et Jungmannum, qui per totum studiorum meorum tempus adiutores mihi benevolentissimi atque humanissimi exstiterunt, pio semper atque grato animo colam.